IN LAMENTATIONES IEREMIAE

COMMENTARIUM

EX AVCTORIBVS GRAECIS COLLECTVM

IN EASDEM ANTONII AGELLII PRESBYTERI REGVLARIS EXPLICATIO.

SVPERIORVM PERMISSV.



ROMAE,

Apud Franciſcum Zanettum. M. D. LXXXIX.

ILLVSTRISSIMO
ET REVERENDISSIMO
DOMINO
M. ANTONIO COLVMNAE
S. R. E. CARD. EPISCOPO
PRAENESTINO.



ANTONIVS AGELLIVS
Presbyter Regularis.



NON eo consilio quo ij vti solent qui aliquid scribunt, & se suis litteris principibus viris insinuant, vt eorum gratiam aucupentur, ego itē adductus sum Cardinalis Illustrissime, vt hunc tibi libellum dicarem: neq; arte vlla fuit agendum vt a te gratiam inirem, cuius mihi tua benignitate aditum amplissimum patefeceras: sed vt iam initam hoc quantulocunque officio conseruarem, & simul animum si non tuae benignitati parem, at illa certę non indignum ostenderem. Libellus autem in Ieremiae, hoc est, in Prophetae qui totus in affectibus positus est, Lamentationes expositionem continet, ex Origenis commentarijs & Olympiodori fragmentis maiore ex parte collectam, ali-

cubi fortasse breuem atque concisam, neque enim fusiores horum virorum commentarios nactus sum, sed in qua tamen sublimiorum sensuum semina lateant. adieci meam quoque, vt minus cum eruditissimorum virorum expositione sententiarum sublimitate comparandam, ita aptius cum Vulgata Latina editione congruentem, & ad explicandum litterae sensum, vt puto, non indiligenter elaboratam; tenue munus pro tuae dignitatis amplitudine, sed meae properationi dabis pro tua humanitate veniam; malui enim meae voluntatis quamprimum vel tenuem significationem dare, quam diutius differendo, parum grati animi notam interim subire.

Accipe igitur laeto animo meum hoc qualecunque munus Optime Cardinalis, tuae virtuti & erga me beneuolentiae debitum, mei erga te studij & obseruantiae testem; & quem singulari tua humanitate & benignitate deuinxisti, praesidio quoque ac patrocinio subleuare perge. Vale Ecclesiae decus, & priscae Romanae virtutis exemplar & columen.

AD LECTOREM.



Ommentariolum hoc in Lamentationes Ieremiae non continuata opera, sed saepius interrupta confeceram, cum in corrigendis Vulgatae Latinae editionis Biblijs occupatus essem, & subsecivas horas, quae raro breuesque supererant, perire nollem. quamobrem expositione breui contentus fui, & verborum tantummodo ac litterae sensum persecutus sum. Eius cum apud M. Antonium Columnam Cardinalem virum praestantissimum, & de me optime meritum forte mentio incidisset, vellemque illius beneficijs, & erga me beneuolentiae qua poteram animi mei significatione respondere, coram dicaui. quod ille grati ac memoris animi mei officium alio beneficio obruit, & typis excudendum suo sumptu curauit. haec meae lucubrationis ratio fuit, & libelli edendi causa: nunc de opere ipso pauca. Litterae solius explicationem mihi cum desumpsissem, & appareret imperfectum opus fore, nisi de tropologia quoque aliquid adijceretur, incidi in fragmenta quaedam Origenis graeca, quae de longiorum illius commentariorum iactura superfuerunt. ea cum placuissent admodum, in Latinum verti. his adiunxi breues quasdam Olympiodori expositiunculas a me item versas, ex vtrisque iustum fere commentarium euasit, quod non litteralem modo sensum, sed etiam tropologicum comprehenderet. Sed quia eorum expositio cum LXX. interpretum editioni congruat, saepe a nostra Latina dissentit, ne quid operi deesset per versus singulos editionem beati Hieronymi, hoc est Vulgatam Latinam expositione mea simul adiuncta subieci: in qua expositione hunc ordinem tenui, vt prius scripturae propositae senten-

ſententiam παραφραστικῶς comprehenderem, tum vbi opus erat, quo magis eluceret ſententia, ſingula verba breuiter explicarem. Neque tamen ita Vulgatam editionem ſecutus ſum, vt ſi quando vſus incidiſſet, non etiam quid LXX. ſenſiſſent, in ambiguis praecipue locis declararem. Gratum autem hunc libellum fore confido, ſi non propter meam operam, quamuis eam non negligenter impenderim, at certe propter Origenis & Olympiodori monumenta; eoque magis, quod cum in alios prophetarum libros extent veterum auctorum commentaria, in Threnos Ieremiae praeter haec quae damus, de vetere illa & ſolida patrum eruditione nihil habemus.

ANTONII AGELLII PRESBYTERI Regularis, in Lamentationes Ieremiae.

PROOEMIVM.



LAMENTATIONVM librum illum esse nonnulli putant, quem Ioacim Rex Iuda combussit, vt est in prophetia Ieremiae. quae opinio etiam inter veteres Hebraeorum doctores recepta est: illud tantummodo differre putant, quod in illo combusto libro tria solum alphabeta descripta fuerint, haec nempe, {Quomodo sedet, Quomodo obtexit, Quomodo obscuratum est; { vel vt clarius dicatur, huius libelli primum, secundum, quartumque caput: in hunc vero & illa tria alphabeta seu capita Dei iussu relata sint, & insuper illud additum cuius initium est, {Ego vir videns paupertatem meam, { id est caput tertium: hocque esse volumen illud existimant, de quo in prophetia Ieremiae legitur, { Ieremias autē tulit volumen aliud, & dedit illud Baruch filio Neriae scribae: qui scripsit in eo ex ore Ieremiae omnes sermones libri quē combusserat Ioacim rex Iuda igni, & insuper additi sunt sermones multo plures quam antea fuerant. { Sed neque vnum illud alphabetum etsi triplex sit, & initialibus litteris tertio repetitis decurrat, multitudine sermonum tria illa reliqua vincit, nec aequat quidē: & alia ratio suppetit ad opinionis huius falsitatem coarguendam: Nam si liber ille combustus Dei oracula ad prophetam Ieremiam edita cōtinebat, vt ex eodem capite trigesimo sexto satis apparet, { Scripsit, Baruch ex ore Ieremiae omnes sermones Domini quos locutus est ad eum, in volumine libri. { & in hoc libello nulla oracula nulliq; sermones ex persona Domini quos ad Ieremiam habuerit, scripti sunt, profecto certū est, hunc lamentationum librum non eum esse, quem rex Ioacim perdidit. Illud etiam accedit, quod in illo libro combusto omnia verba descripta sunt, { quae Dominus locutus est aduersum Israel & Iudam, & aduersum omnes gētes: { praeterea fore vt, { festinus veniret rex Babylonis, & vastaret terram Iuda: {

Ierem. 36.

Ierem. 36.

da: } quorum nihil in hoc libello scriptum legimus, sed tantũ euersae iam vrbis, & cladis acceptae lamentationes: idque in editione LXX. in ipso libri limine indicatur; } Et factum est, postquam in captiuitatem redactus est Israel, & Ierusalem deserta est, sedit Ieremias propheta flens, & planxit lamentatione hac in Ierusalem. } quae verba licet in Hebraeis codicibus & antiquis Latinis non habeantur, tamen in recentiores codices de LXX. editione fluxerunt, & Origenes exponit, vt inferius apparebit. Eusebius tamen verba haec non videtur admittere: alioqui non dixisset, vt paulo post eius verba declarabunt, primum alphabetum ad transmigrationem Ioachin esse referendum, cum in illa transmigratione ciuitas deserta non sit, quod in his verbis asseritur, } & ciuitas deserta est: } sed de hac re iudicium ad eos deferimus, quorum est de sacris litteris censere, & a certis dubia secernere.

2.Par.35. Fuere alij qui has lamentationes illas esse putarent, de quibus in secundo libro Paralipomenon scriptum est, a Ieremia propter Iosiae sancti Regis necem fuisse compositas, } quum vniuersus Iuda & Ierusalem luxit eum, Ieremias maxime, cuius omnes cantores atque cantrices vsque in praesentem diem lamẽtationes super Iosia replicãt, & quasi lex obtinuit in Israel, ecce scriptum fertur in lamentationibus. } Sed si per totum librum hunc, aut per omnia alphabeta mortem Iosiae, & cladẽ tunc acceptam defleri putauerimus, ipsis verbis prophetae conuincemur, & falsae opinionis arguemur. neque enim tũc quum caesus est Iosias, manum suam misit hostis ad omnia desiderabilia Ierusalem, neque vidit Ierusalem gentes ingressas in Sanctuarium suum, neque Iudaei tanta famis immanitate vexati sunt, vt omnis populus gemeret, & quaereret panẽ, & pro cibo pretiosa quaeque darent, vt refocillarent deficientẽ animam; neque tanta fuit Iudaeorum strages, vt videretur Dominus torcular calcasse Virgini filiae Iuda, neq; virgines eius & iuuenes abierunt in captiuitatem: quae omnia in primo alphabeto descripta sunt. nam de secũdo quid dicere opus est? vbi deploratur euersio moenium ac munitionum, arcisq; destructio, & famis incommodum? quorum certe nihil accidit quum Iosias occisus est, nisi quod Pharaonem Nechao legimus

mus Iosiae successore Ioachaz amoto, terram centum talentis argenti,& talento auri damnasse: victoria autem aduersus victos immodice vsum esse, nusquam legimus. Nec minus adiectio illa LXX. quam tamquam argumētum huic libro praefixerunt, huic opinioni repugnat, § & factum est postquam in captiuitatem ductus est Israel,& Ierusalem deserta est: § neq; enim Pharao Nechao captiuum duxit Israel, neque desertam fecit Ierusalem. falsum ergo est in hoc libro per totum Iosiae Regis lamentationes contineri. 2.Paral.36.

Quamobrem Hebraei in ea sententia sunt, vt quamuis non omnes has lamentationes super Iosiae casu factas putent, tamen quartum proprie alphabetum seu caput ad Iosiam pertinere dicant, cum in eo legatur, § Spiritus oris nostri Christus Dominus captus est in peccatis nostris, § quem ipsi Iosiam intelligunt. Hebraeorum sententiam B. Hieronymus & probat & sequitur in Commentarijs in caput Zachariae duodecimum. Sed quantum certis coniecturis assequi possum, hanc sententiam suam retractauit, vt mox ostendam. non igitur cōtra Beatum doctissimumq; virum & de Sacrarum litterarum studijs optime meritum decertare animus est, quem ab hac opinione discessisse docebo, sed opinioni ipsi aduersabor. ac primum illud communiter aduersus Hebraeos, qui Christum Domini cum Iosiam intelligant, ex hac appellatione constringi ac blasphemiae teneri non possunt, Christum enim Domini suis punctis adhibitis legendum dicunt, non Christum Dominum: sit sane vt dicunt, & hoc illorum perfidiae concedamus, non quod ita legendum putem, sed quod his armis aduersus eos pugnare non possim. Quid igitur? De Iosia ne placet hunc versum intelligi? & quis igitur erit ordo? quae series rerum atque verborum? ita ne animos perfidia perturbauit vt eandem confusionem in sacras litteras transferendam putent? multos certe annos euersionē ciuitatis mors Iosiae praecessit: quae tanta igitur confusio prophetae mentem obsedit, vt quod prius iuxta rei gestae ordinem recensendum atq; conquerendum fuerat, id extremo loco poneret? In intelligendis difficilioribus litterarum sacrarum locis non exiguum in eo momentum est, vt considerentur quae verba praecedāt, quae

sequantur. quod enim in rerum natura comparatum est, vt vicina quaeque ac iuncta nonnihil habeant simile, cuius opera coniungantur, neque terram caelo iũctam sine medio aliquo elemento quisquam nisi parum sanus aut vidit aut cogitauit, neque ignem aquae coherentem aspexit: idem in rebus gerendis inuenitur, cognatae namque sunt actiones inter se, neque quisquam aut scholas doctosque viros fugiendo doctus euasit, aut otio inertiaeque deditus diuitias acquisiuit: quod igitur in rerum natura spectatur, & in rebus gerendis conspicitur, idem in verbis & sermone vsu venit, vt praecedentia verba cum consequentibus cognatione aliqua atque conuenientia iuncta connexaque sint. Si igitur de Iosia accipienda haec verba Iudaei dicunt; ≷ Spiritus oris nostri Christus Dominus, ≷ & quae sequũtur, prius illud ostendant quomodo cum Iosiae nece superiora verba sequentiaque conueniant, ita vt quae praecedunt, quaeque succedũt, aut tempore, aut origine, aut causa coniuncta sint. sed quid pluribus opus est ad hanc rem ostendendam; cum ipse sibi quisque fidem facere possit, modo si librum in manus sumat, & legat, nihil ex ijs quae in capite quarto commemorantur, cum morte Iosiae esse coniunctũ? quomodo enim cum morte Iosiae cohaerere poterunt, cum nihil eiusmodi eo tempore accidisse legamus? vbi enim legimus Iosia caeso famem illam plusquam tragicam accidisse, quam ibi propheta questu maximo deplorat, ita vt matres in filios lamijs saeuiores & struthionibus deserti negligentiores redderet? vbi nam eo tempore tam rabida fames eousq; matres efferauit, vt natos iugularent, & sibi gratissimum scilicet cibum apponerent? quomodo tum ciuitas repente ad Sodomorum exemplum euersa est? qui nam victorem hoste in montes fugerunt, & ab eo velocius insequente quam aquila passerculum insectatur, comprehensi sunt? postremo quonã modo post Iosiae necem completa est iniquitas Sion? aut quomodo non iterum transmigrare coacta est, cum post paucos annos in Babylonem ducti, & post Christi domini Deique nostri necem funditus euersi, & per omnes terras dispersi sint? Si igitur nihil ex ijs quae in quarto alphabeto sunt, cum Iosiae caede cohaeret, certum est hunc versum, ≷ Spiritus oris nostri, ≷

non posse de Iosia intelligi:nec de Sedecia quidem; quamuis enim superiora non videantur abhorrere, sequentia certe ad Sedeciae tempora trahi non possunt: neque enim posteaquã ille captus est & euersa a Babylonijs ciuitas, completa est iniquitas Sion, neque nulla alia transmigratio post illam quae eo tempore facta est contigit. nam longo post tempore licet, illa tamen a Romanis contigit priori transmigratione longe calamitosior atque diuturnior. De Christo igitur Domino nostro hic versus etiam ad litteram intelligendus est, vt quum ad eum locum ventum erit, demonstrabimus. reclament licet Hebraei, & suo more vbi rationem quam opponant nullam habent, dissecentur cordibus, & stridant dentibus. Haec aduersus Hebraeos dixisse sit satis. Nunc de Hieronymo pauca, is enim vt superius commemoratum est a nobis, Hebraeorũ sententiam probauit, vt in Commentarijs in Zachariae caput duodecimum scriptum reliquit. cuius auctoritas viri sic nobis defendenda erit, vt a sanctissimo Christianissimoque doctore imprudentiae aut Iudaicae perfidiae suspicionem propulsemus. eius haec verba sunt. § In campo Maggeddo, inquit, Iosias rex iustus a Pharaone cognomento Nechao vulneratus est. Super quo lamentationes scripsit Ieremias quae leguntur in Ecclesia, & scripsisse eum Paralipomenon testatur liber. Sicut igitur eo tempore post reges peccatores, spes omnis populi erat in Iosia, & occiso illo, magnus planctus in vrbe commotus est, sicut legimus in Hebraico, Spiritus oris nostri Christus Dominus captus est in peccatis nostris, cui diximus, in vmbra tua viuemus in gentibus, licet alij iuxta intelligẽtiam Spiritualem hoc referant ad Dominum Iesum, ita crucifixo Saluatore renouabitur planctus in Ierusalem. § Ego vero puto hunc virum prius quidem iuxta Hebraeorum sententiam sic vertisse, § Spiritus oris nostri Christus Domini, § non autem, § Christus Dominus, § alioqui quomodo aut tam rerum ignarus, aut tam blasphemus esse potuisset, vt Iosiam Christum Dominum intelligeret? nam Christum Domini vocari nihil impietatis haberet, sic namque etiam Saul nequaquam pietate cum Iosia rege comparandum, appellatum esse in secũdo Regum volumine legimus. Christum vero Dominum vocari

2.Paral.35.

2.Reg.1.

quemquam hominem neque in Scripturis vmquam legimus & non sine maximo impietatis crimine fieri potest. nimirum haec appellatio illi soli reseruata est, qui simul Deus & homo futurus erat, quem in Euangelio beati Lucae nunc Christum Domini ex ea parte qua homo est, appellatum legimus, vt quũ Simeon, { responsum accepit a Spiritu sancto non visurum se mor.em nisi videret Christum Domini: } nunc ex vtraque natura Christum Dominum, vt in illo laetissimo angeli nuntio, { Euangelizo vobis gaudium magnum, quia natus est vobis hodie Saluator, qui est Christus Dominus. } non ergo adeo imprudens esse potuit Hieronymus, vt nomen illud Domini tetragrammon creaturae alicui communicari nullo modo posse nesciret, quod etiam imperiti sciunt; aut si sciebat, adeo blasphemus & impius, vt Iosiam Dominum appellaret, & nomen quod Dei proprium erat, homini tribueret: quod si neutrum in hominem adeo peritum adeo pium cadit, necesse est quum hunc versum. { Spiritus oris nostri Christus Dominus, } secundum litteram de Iosia putauit intelligendum, non Christum Dominum, sed Christum Domini legerit, atq; ipse prius de Hebraeo verterit. Sed vereor ne dum a Sancto doctoque viro imperitiae aut impietatis crimen amolior, non minus turpem illi Iudaicae perfidiae notam inuram. nam si sic vertit, Christum Domini, magis Hebraeorum obstinatum errorem in eo secutus est, quam LXX. candidam veritatem. quomodo igitur eum defendimus? ita nimirum, quia simplicem suum errorem cum plusquam opus esset Hebraeis credidisset, temporis accessu, atq; aetatis vsu, & Ecclesiae consuetudine correctus emendauit. emendasse autem illud argumẽto est, quod in eius versione Christum Dominum legimus, neque vlla sunt editionis eius exemplaria aut recentiora aut vetera, in quibus non sic scriptum reperiatur. Ex his omnibus conficitur non esse has lamentationes illas de quibus in libro 2. Paralipomenon scriptum est, eas super Iosiae morte a Ieremia fuisse compositas. quid igitur illae? in quo nam Scripturarum sacrarum libro positae sunt? in nullo ex ijs qui reperiuntur, vt autumo; sed vt multa alia quae in Scripturis diuinis citantur, seu incuria Hebraeorum, seu Deo sic volente interciderunt, sic illas su-

Lucae 2.

las super Iosia lamentationes perijsse puto. Reliqua est igitur eorum opinio, qui vel euersionem vrbis a Nabuchodonosor factam, & Iudaeorum captiuitatem, quum in Babylonem ducti sunt, per totum in his lamentationibus defleri putant, modo extremi illi versus quarti alphabeti ad Christi mortē, nostramq; omnium redemptionem pertinere intelligantur: vel in ceteris quidem alphabetis euersionem gentis illius vt dictum est a Chaldaeorum exercitu perpetratam, quarto tamen alphabeto futurum illud a Romanis excidium deplorari; cui sententiae saepe in quarti capitis expositione fauet Origenes. Eusebius vero primum alphabetū ad Ioachin pertinere asserit, quum Nabuchodonosor eo ablato, principes cum eo simul in Babylonem abduxit, vt est in 4.Reg.cap.24.& 2.Paralipomenon 36. asportatis etiam simul pretiosissimis vasis domus Domini. cuius sententiam multa quae in eo alphabeto sunt, confirmare videntur. nam tertius versus, Migrauit Iudas, de ijs commode intelligi potest, qui vna cum Iechonia migrauerunt, vnde in prophetia huius istius prophetae capite 28. legimus pseudoprophetam Hananiam tamquam de ore Domini fauorabilem illam prophetiam apud populum protulisse, § Iechoniam inquit filium Ioacim regem Iuda, & omnem trāsmigrationem Iudae qui ingressi sunt in Babylonem, ego conuertam ad locum istum. § & capite 29. Domino iubente mandat propheta Ieremias omni transmigrationi quae trāslata erat de Ierusalem in Babylonem, vt aedificent domos & habitent. Principum abductioni congruit sextus versus, Facti sunt principes eius velut arietes, & quae sequuntur: & quintus decimus, Abstulit omnes magnificos meos Dominus de medio mei. Vasorum sacrorum asportationi conuenit versus decimus, Manum suā misit hostis ad omnia desiderabilia eius, & quae sequuntur. Sed de libro eiusque argumento satis. Nūc huius libelli lectio quid vtilitatis afferat, exponendum est.

Ierem. 28.

Ierem. 29.

Etenim quamuis omnis scriptura diuinitus inspirata ad corrigenda vitia moresque componendos vtilissima sit, huius tamē libelli lectio praecipue ad animi tumorem comprimendum, quum de secundis rebus effertur, valet plurimū. Habet enim id humanus animus, vt quum terrena haec felicitas arridet, fa-

cile

tile ad elationem progrediatur, adeo vt laeto rerum successu corruptus atque dissolutus obliuiscatur suae condicionis, & hominem se esse omnium casuum telis obnoxiu minime sentiat. Vt igitur corpora non solidae pinguedinis plena, sed tabida inflatione tumentia adstringentibus remedijs sicciori victu curantur, ita hilaritas illa vana, & tumor animi, libri huius lectione comprimitur & coercetur, vsuque ipso discitur,
Ecclesiast. 7 quanto sit melius, ire ad domum luctus quam ad domu conuiuij: in illa enim finis cunctorum admonetur hominum, & viuens cogitat quid futurum sit. praestat hoc idem etiam liber Ecclesiastes, sed hic affectu maiore permouet animum: & quamuis vtriusque idem sit diuinus spiritus auctor, ibi tamen documentis quibusdam, quod ad simplicem sensum pertinet, a vanitate praesentium voluptatum reuocamur, hic affectuu impetu perurgemur. itaque praeclare beatus Gregorius Nazanzenus in Oratione Pacificatoria prima, Deflet, inquit, Ieremias priores illius populi clades, & captiuitatem Babylonicam dolet: etenim erant illa prorsus luctu doloreque summo dignissima, quid ni? muri diruti; vrbs aequata solo; sanctificatio euersa; sacra donaria direpta, profani pedes sacris adytis inambulantes, profanae manus ea quae tangere nefas erat contrectantes, Prophetae tacetes, sacerdotes abducti, senum nulla misericordia, virginum iniuriosissima violatio, iuuenes cadentes, exterus & hostilis ignis, sanguinis fluuij, pro sancto illo pioque & igne & sanguine commutati: Nazaraei per vim detracti, pro hymnis fletus excitati; & vt aliquid de ipsis Ieremiae lamentationibus dicam, Filij Sion illi pretiosi & exaequati auro, illi delicati, & malorum insueti, ignotam viam ambulantes, & viae Sion lugentes, quod non essent qui diem festum celebrarent. & paulo post, Manus mulierum misericordium, non illae cibum filijs dum obsidione premerentur porrigentes, sed filios in suum ipsae cibum vltro lacerantes, & carissima pignora in famis remedium conuertentes. Haec nonne ita sunt acerba vt nihil sit acerbius? non ad illorum modo sensum qui tunc ista tolerabant, verum etiam ad eorum iudicium qui facta nunc audiunt? Equidem vt de me fatear, quoties hunc librum in manus sumo, & lamentationes lego, lego

autem

autem qnoties ea lectione praesentis felicitatis sensum castigare voluero, vox mihi inter legendum abrumpitur, & lacrymis obruor, & veluti sub aspectum venit illa clades, & cum lugente luctum coniungo. ¶ Haec mihi digna visa sunt de quibus lectorem antequam ad legendum ingrediatur, admonerē. cui si gratus & vtilis fuerit meus labor, non modicum mihi ex eo percepisse fructum videbor: sin parū vtilis, illud certe perfectum erit, vt aliorum scripta excellere & eminere videantur: quibus praestantiora illa Spiritus sancti munera cum concedamus, sermonem Sapiētiae, sermonemq; Scientiae, nos in inferiore gradu haesimus, & laborauimus vt sermones interpretaremur. nullum autem munus contemnendum est quod in pulcherrimo Ecclesiae corpore praestatur, etiam si humilius sit, & ab infimis membris exhibeatur, sine quibus totius corporis integritas constare non potest.

THRENI IEREMIAE IVXTA LXX.

Et factum est postquam captiuus ductus est Israel, & Ierusalem deserta est.



Vsebii caesariensis. Prima elementorum pars lamentationem continet de prima gentis illius transmigratione, quum simul cũ Rege Ioacim primoribus abductis, qui remanserant in Ierusalem tributarij facti sunt, ideo dicit, § Princeps in regionibus facta est in tributum. § Secunda pars, vrbis ruinam templiq; incendium continet: itaq; dicit, § Quomodo contexit caligine in ira sua Dominus filiam Sion, deiecit de caelo in terram gloriam Israel. § Tertia vero pars per eadem elementa diuisa, Prophetae lamentationem de ijs malis quae passus erat, complectitur: ideo dicit, § Ego vir videns paupertatem in virga indignationis eius super me: Accepit me & abduxit in tenebras & non lucem, § & his similia. Quarta postremo pars populum luget; cuius est initium, § Quomodo obscurabitur aurum, mutabitur argentum optimum, effusi sunt lapides Sancti in capite omnium plateaarum? § & quae sequuntur. In qua parte abiectio illorum vltima declaratur; praeterea facinus in Christum admissum, & gẽtium vocatio in illis verbis, § Spiritus ante faciem nostram Christus Dominus, comprehensus est in corruptionibus nostris, in cuius vmbra diximus, viuemus in gentibus. Origenis. Ieremias quum captiuus populus in Babylone teneretur, luget regionem, & vrbis ac populi casum. & luctum suum per diuisiones quasdam distinctionesq; circumscribit, quae initium ab Hebraearum litterarum elementis per illorum ordinem sumunt: luctuq; per elementa singula completo, & ad extremum eo qui a Thau incipit, quae postrema est Hebraeorum littera, redit ad Aleph, denuoq; deflet: & id quater facit, per viginti duo elementa decurrens. § Eivsdem. Per contemplationem. § Si animam viderimus Diabolo aut angelis

eius,& vt semel dicam, inimicis potestatibus subiectam,quae natura ad contemplandum apta sit, & ea quae vere sunt conspicere scireq; possit, captiuitatem aliquo modo cogitemus, & eum qui in captiuitatē abduxit. Sed confugientes ad Christum qui captiuis remissionem iuxta Prophetam Esaiam praedicauit, liberabimur à peccato, etiam si qui, in captiuitatem abduxit eousq; progressus sit vt vinculis constringeret. Venit enim Iesus vt è vinculis constrictos educeret, & de domo carceris sedentes in tenebris. ORIGENIS. Propterea dicunt Hebraei, veteris testamenti libros eodem esse numero cum litterarum suarum elementis, adeo vt ad omnem Dei cognitionē initia quaedam sint, quemadmodum elementa ad omnem Sapientiam discentibus proponuntur; quater autem repetuntur ob eam fortasse causam, quia etiam Corporum elementa quatuor sunt. ET PAVCIS INTERIECTIS. Editio vero Aquilae & Theodotionis in lamentationibus nulla fertur, nisi solum Symmachi & Septuaginta. ET ITERVM. Quaerat fortasse aliquis, qua de causa cum inscriptio libri multitudinis numero sit, Threni, tamen in prooemio, lamentationem hanc dicat. Sed particulares quidem sunt plures per elementa diuisae lamentationes, ad vnam vero omnes tendunt, cum ad vnum Israëlis argumentum redigantur. EX INCERTO. Beatus Ieremias plusquam ceteri Prophetae affectuum plenus, qui nihil ipse lamentatione dignum fecerat, adeo vt diceret Deo, § Ego vero non laboraui sequēs post te, § cum ad nouissimam quam cupiebat mansionem peruenisset, ita vt semper gauderet, & in ipsis etiam tribulationibus de spe consolationem acciperet, populares suos luget, per peccatum hostes Dei factos, & summas calamitates expertos. Sed & Paulus Christi imitator pro ijs qui secundum carnem cognati erant, & infideles, dicebat, § Tristitia mihi magna & continuus dolor cordi meo: optabam enim ipse ego anathema esse à Christo pro fratribus meis qui sunt cognati mei secūdum carnem. § Et Corinthios increpabat, qui eum qui fornicatus erat non luxissent, neq; sancti viri solum, verum etiam Angeli, sicut super vno peccatore paenitentiam agente gaudent, ita nihil mirum si super tam multis pereuntibus dolent. Et ipse Do-

Esaiae 61. Esaiae 42. Ierem. 9. Rom. 9. Cor. 5. Lucae 15.

se Dominus noster Iesus Christus, qui non vult mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat, exemplū se nobis in alienis malis dolendi praebens, deflet Ierusalem quod a Romanis capienda esset. quem sancti viri imitati, eos qui perierunt deflent; non quae sua sunt solum considerantes, sed prouidentes vnitati, & vinculo fidei, cui iuxta beatum Apostolum, nihil aequandum est. Et hic igitur Propheta luget ciuitatem in Iudaea, quam in seruitutem redactam videbat, quamuis ipse Nabuchodonosor beneficio esset relictus. & luget luctu ex vi caritatis expresso, qui beatus appellatur. nam sancti viri est, § flere cum flentibus, & gaudere cum gaudentibus. § OLYMPIODORI. Luget Propheta secundum historiam vrbis illius Ierusalem casum & captiuitatem quae sua aetate contigit: prophetice autem ac verius eam quae illi a Romanis accidit, propter admissum contra fas in Christum facinus. ab illa namque e Babylone reuocati sunt; postea vero quam a Romanis capti sunt, minime. Sed referuntur etiam quae scripta sunt ad animam a virtutis domicilio extorrem factam, & ad vitiorum varias formas deportatam, & ob eam causam in confusione positam. (Babylon enim confusio interpretatur,) & a spiritualibus hostibus in captiuitatem abductam.

Lucae 19. Philip. 2. Rom. 12.

Sedit Ieremias flens, & planxit lamentatione hac super Ierusalem, & dixit.

ORIGENIS. Fletu qui ex caritate proficiscebatur, & beatus appellatur: siquidem sancti viri est flere cum flentibus. EIVSDEM. § Quum appropinquaret Ierusalem Dominus fleuit & dixit, si cognouisses & tu quae ad pacem tibi. Ierusalem Ierusalem quae occidis Prophetas, & lapidas eos qui ad te missi sunt, quoties volui congregare filios tuos quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluistis? § EIVSDEM. Si igitur § Beati qui fletis, quia ridebitis, § opus fuit vt Ieremias fletu hoc mystico fleret, & iuxta illud, § Beati qui lugent, § eos lugeret qui digni luctu erant.

Rom. 12. Lucae 19. Matth. 23. Lucae 6. Matth. 5.

EDITIO LXX.

CAPVT I.

ALEPH.

Quomodo sedet sola Ciuitas plena populo, facta est quasi vidua, plena gentibus.



ORIGENIS. Videtur quidem plenitudo populi, quod ad litteram pertinet, significare habitantes Israelitas, ac plenitudo gentium, vt prius dictum a nobis est, significare proselytos. Secundum anagogen vero quia ad contemplationem pertinentia magis cognata sunt animae, & minus circumstantijs vestita quam quae ad actionem pertinent, fortasse plenitudo populi copias contemplationum significet illius beatae Ierusalem: plenitudo vero gentium vitiosorum factorũ multitudinẽ. ET POST PAVCA. Illa quae plena erat, sola sedet, quod cum sponsa esset, sponsum λόγον idest rationem amisit: & facta est sicut vidua, quae olim erat praedictis gentibus plena. EIVSDEM. Quantum attinet ad litteram, conuenit ipsam Ierusalem intelligi, diciq; cum admiratione, propterea quod ad tristiorem statum demutata sit, sedere solam, illam olim populis plenam: vt solitudo sit ipsa desertio. nam cum protectorem insitum illum in anima λόγον & rationem pro viro habuisset, quando illum praesentem atque adiuuantem sequebatur, postea peccatorum suorum culpa viduata, & ab illo derelicta est. ET POST ALIA, Haec quidem ad litteram. Ad sublimiorem vero sensum, Ierusalem abundans & populo ac gentibus plena, & regionum domina, illa diuina est anima: neq; mirum si non modo domus aut villa aut qui maior est vicus appellatur, neq; vrbs quaeuis, sed quae caeteris vrbibus praestantior, & apud Deum honorata, Ierusalem vocatur illa diuina anima, cum maximae ciuitati par magnitudo cum illa conferatur, quae magnitudo prae Sapientia ceterisq; virtutum generibus multiplicia aedificia vincat. ET POST PAVCA. Vt vero licet videre Ierusalem florentem, plenam populo & gentibus, & principem regionum; ita si labilis est illa virtus, de-

tus, de-

tus, desolatam eandem, & viduam, & seruientem, adeo vt etiã tributum inimico qui illam obtinuit pendat, videre possumus in illius anima, qui a veritate sit exul. OLYMPIODORI. § Facta est quasi vidua; § rationali sponso viduata. § Plena gentibus. § IDEM. Illa pridem plena probis cogitationibus.

Princeps prouinciarum facta est sub tributo?

OLYMPIODORI. Quae prius vitijs dominabatur, postea illis tamquam hostibus tributaria facta est, ita vt semper tributum pendat, & faciat quae illi mali domini imperant, imperant vero boni nihil. Ac fortasse per singulas culpas quas hic admittit, tributum quoddam affert ipsi Nabuchodonosor, qui interpretatur, insessio, & agnitio angustiae: neq; Nabuchodonosor solum, verum etiam Satrapis eius.

VVLGATA EDITIO B. HIERONYMI.

CAPVT I.

ALEPH.

Quomodo sedet sola Ciuitas plena populo, facta est quasi vidua domina gentium, princeps prouinciarum facta est sub tributo?



EV quae tanta in contrarium facta mutatio est, quam diuersa rerum vicissitudo vix vt credi possit, vt ea ciuitas quae quondam florẽtissima erat, & multitudine ciuium abundabat, nunc maerẽs ac tristis iaceat, suis ciuibus orbata, & Rege, & quod potius est Deo suo viduata? Illa quondam multarum gentium Domina, quae multas prouincias suo imperio subegerat, facta sit sub tributo, censumque annuum pendat, & publicis oneribus ferendis operibusq; extruendis miserrime simul & ignominiosissime seruiat? § Quomodo. § Maximam habet vim ad animum dolore concutiendum, illa in diuersum longe statum commutatio; non enim praesentis mali sensus tantummodo maerorem inurit, sed etiam felicitatis praeteritae recordatio, si cum praesenti infelicitate cõfeatur: atq;

eo ma-

eo magis quo maior fuerit. Itaque ab apto principio exorsus est, ʒ Quomodo, ʒ quod verbum non tam causam inquirentis est, quã incredibilem paene & longe diuersam vicissitudinem dolentis. Vnde & ad lamentationes assumi in Scriptura solet, vt in hoc libro ter assumitur, hoc loco semel, iterum capite secundo, ʒ Quomodo obtexit caligine in furore suo Dominus filiam Sion: ʒ & tertio, ʒ Quomodo obscuratum est aurum. ʒ Miratur ergo simulq; deflet, mutationem tantam florentissimae quondam opulẽtissimaeq; ciuitatis, eamq; dolet in adeo infelicem statum deuenisse, vt sit incredibile. Eam porro commutationem tribus in rebus positam dicit. Vt enim praeclara sit ciuitas, primo necesse est populi frequentia celebrem esse: deinde optimis magistratibus aut Regia prudentia gubernari: postremo nõ alij subiectam esse ac seruire ciuitati, sed alijs ciuitatibus imperare: quibus omnibus, cum abunde illi ciuitati adfuissent, illico spoliata est: nam ex frequentissimo populo ad maximam est infrequentiam solitudinemq; redacta: deinde Rege magistratibusq; viduata: postremo, cui multae prouinciae subiectae erant ac tributa pendebant, ea exterarum gentium imperio ac dominationi parere tributumque persoluere coacta est. ʒ Sedet sola, ʒ tamquam leprosa a commercio & coniunctione Sanctorum separata, quod peccatorum plaga contacta esset. Sic namq; praeceperat Deus, vt leprosus extra castra sederet solus, vt est in Leuitico cap. 13.
Leuiti. 13.
Quousq; igitur a lepra mundetur sedet sola, vt immunditiam ipsa suam agnoscat & defleat. Est etiam solitudo luctui conueniens: nam quum maeremus, consuetudinem hominum & frequentiam vitamus: vt igitur eius ciuitatis maerorem ac luctum indicet, solam sedere dicit; non aliter atque de seipso Ieremias dixerat, ʒ Non sedi in concilio ludentium; solus sedebam, quoniam amaritudine replesti me. ʒ Postremo sedendi verbum deiectam esse illam atque a sublimi statu deturbatam iacere significat, regijs insignibus ac maiestate spoliatã: quomodo capite 13. dictum legimus, ʒ Dic Regi & Dominatrici, humiliamini, sedete, quoniam descendit de capite vestro corona gloriae vestrae. ʒ Quasi vidua, ʒ orbata viro: quem vel Regem, vel Deum ipsum intelligere debemus, qui illam
Ierem. 15.
Ierem. 13.

peccato-

peccatorum suorum merito reliquerat: quae loquendi figura Ieremiae non insolita est, quum in suae prophetiae cap. 55. dicat, ʒ Quoniam non fuit viduatus Israel & Iuda a Deo suo Domino exercituum: terra autem eorum repleta est delicto a sancto Israel. ʒ Siue autem Regem virum accipiamus, siue Deum, caute adiectum est, ʒ quasi, ʒ non enim vidua prorsus erat, sed quasi vidua: nam & Rex nondum excesserat Sedecias, sed in vinculis habebatur a Rege Nabuchodonosor; & Deus ipse non prorsus illam reliquerat, licet ad tempus abiecisset, expleto captiuitatis tempore rursus illi conciliandus. Illud autem in his verbis non absurde quaeri potest, quomodo viduitas dominationi gentium opponi possit. Sic namque dictum est, ʒ Facta est quasi vidua Domina gentium, ʒ ac si viduam esse, ei quod est Dominam esse gentium, opponatur. Nam in ijs quae praecesserunt, ʒ Quomodo sedet sola ciuitas plena populo, ʒ satis apparet, solam esse, & plenam populo inter se opponi; in eo vero quod ait, ʒ facta est quasi vidua domina gentium, ʒ non satis apparet quae sit oppositio. Quamobrem non displicet illa Hebraeorum interpunctio, qui post verbum vidua, distinguunt; vt sit totus versus ad hunc modum distinctus, ʒ Quomodo sedet sola, ciuitas plena populo, facta est quasi vidua? ʒ deinde ex alio initio sequatur, ʒ Domina gentium, Princeps prouinciarum facta est sub tributo? ʒ Et quamuis Origenes alteram distinctionem sequi videatur, beatus certe Hieronymus Hebraeorum distinctionem probauit. quod ex eo apparet, quia cum vox, plena, & Domina vtrobiq; eadem sit in Hebraeo, & potuisset ille eodem modo transferre, plenam populo, plenam gentibus, in eoq; exemplum LXX. interpretum haberet, quos sine reprehensione sequeretur, tamen maluit secundo loco Dominam gentium vertere, & consulto oppositionem illam abrumpere, ita vt non cum voce praecedenti, hoc est cum vidua, tamquam vox illi opposita coniungeretur, sed cum voce sequenti hoc est cum principe prouinciarum ad cladem amplificandam necteretur. ʒ Princeps prouinciarum, ʒ quae prouincias multas imperio suo subegerat, quas principibus viris missis regebat, has ἐπαρχίας Graeci vocant, quo nomine licet Graeco in hoc loco is qui in Chal-

Ierem. 55.

Chaldaeum sermonem hunc librum vertit, vsus est. Igitur quae prius erat Domina non vnius sed plurium gētium, quae Princeps erat nō vnius prouinciae sed multarum, nam & Philisthaeis & Chananaeis dominabatur, & eorū regiones tributarias habebat, nunc { Facta est sub tributo. } Quam vero miserum sit, quamve turpe sub tributo esse, ex consuetudine sermonis quo scriptura vtitur intelligendum est: neque enim solum is qui tributum aut censum pendit sub tributo esse dicitur, sed qui ad publica opera facienda damnatus, oneribus ferendis, aut agris colendis mancipatur, vnde tributū censumq; persoluat: multa sunt in Scriptura loca quae id doceant. sed pauca proferre satis erit: verbum enim Hebraeum מס nonnunquam publicorum operum operarios indicat qui praesertim onera ferūt, vt Exodi primo de Pharaone legimus, { Praeposuit eis magistros operum vt affligerent eos oneribus: } agricolam in Genesi LXX. idem Hebraeum nomen transtulerunt cap. 49. de Issachar, { supposuit, } inquit Iacob, { humeros suos ad portandum, & factus est tributis seruiens. } καὶ ἐγενήθη ἀνὴρ γεωργὸς, { & factus est homo agricola: } & apud Ieremiam cap. 49. scriptum legimus, Nabuzardan principem militiae Chaldaeorū reliquisse de pauperibus terrae ad vineas agrosq; colendos. Vtrumcumq; sit certe laboriosum & ignominiosum fuit in primis tam clarae nobilique ciuitati fieri sub tributo.

Exod. 1.
Gen. 49.
Ierem. 49.

BETH. L X XII.

Plorans plorauit in nocte, Et lacrymae eius in maxillis eius: non fuit qui consolaretur eam ex omnibus amantibus eam: omnes diligentes eam spreuerunt eam, facti sunt ei inimici.

ORIGENIS. In prima lamentatione cuius initium erat Aleph, litteram seruare potuimus; in hac vero quidnam dici possit, vbi ciuitas in nocte plorasse dicitur, adeo vt lacrymae essent in maxillis eius? nisi fortasse quispiam habitatores nomine ciuitatis appellatos, eosq; tributum ferentes plorasse dicat, memoria repetentes ex qua pace ac libertate ad quātam seruitutem & abiectionem deuenissent. Quonam igitur

igitur modo etiam illud § in nocte § exponemus? an quod tempore communis omnium quietis ciuitas illa hoc est habitatores illius ciuitatis commemorando calamitates, sine vlla requie plorabant, lacrymarum riuis ad maxillas defluentibus: augebatur autem eorum fletus maxime, & affluebant lacrymae, quod ne vnus quidem de tam multis dilectoribus adesset consolator, amicis iura amicitiae violantibus atque spernentibus,& in inimicos conuersis. Qui nam igitur iuxta litteram sunt qui prius illam amabant, e quibus nullus qui eā consolaretur fuit? Fortasse illae reliquae Iudaeae ciuitates, quae suam metropolim cum prius amarent, tempore calamitatis non consolabantur. ET POST PAVCA. Haec de littera. Sin vero Scriptura vt in praecedentibus exposuimus, Ierusalem intelligit eiusmodi quādam animam, ipsa fortasse ideo plorare dicitur, quod exul a sua regione facta,& in confusione posita est, & in longe diuerso statu versatur, quam vt illum rideat risum qui ex gaudio atque hilaritate proficiscitur, quē Dominus noster eis affuturum, qui beatum illum luctum luxerint, pollicetur, dicens, § Beati qui lugent nunc, quia ridebunt. § & in Iob quoque, § Veracium os implebit risu. § Fortasse etiam hac de causa vnus e Patriarchis Risus dicitur. Igitur qui gemit eo quod sit in hoc tabernaculo, vt declarauit Apostolus dicens, § Etenim qui sumus in hoc tabernaculo, ingemiscimus grauati, § promissum risum diuinamque hilaritatem cupiens, is demum vitalem ploratum, & animae vtilissimum plorat. § Et lacrymae eius in maxillis eius. § OLYMPIOD. Vt intelligimus oculos animae, sic maxillae quoque animae dicuntur, per quas rationis viribus alitur, illasq; terit ac mandit. § Non fuit qui consolaretur eam ex omnibus amantibus eam. § OLYMPIOD. Secundum historiam quidem, quia super omnes erat ira, neque alter alterum amplius consolabatur: potest autem intelligi, quod qui hanc animam prius amabant sancti angeli, eam cum se vitijs dediderit, sine consolatione relinquunt. ORIGENIS. Putamus enim ipsum amare diuinum quiddam esse,& vt ita dicam, spiritale: diligere vero ad corpus magis & humana pertinere: ac fortasse quia nemo quippiam humile amat, illud obseruandum sit de

Luc. 6.
Iob 8.
Genes. 21.
2. Cor. 5.

praestantioribus dici,§ non est qui consoletur eam: § de minus bonis vero, § omnes diligentes eam spreuerunt eam, & facti sunt ei inimici: § nam imperfectiores etiam spreuerunt eam, & facti sunt ei inimici: at perfectiores non sunt consolati tantummodo. OLYMPIOD. Transgredientes diuinas leges illi Ierusalem habitatores & pseudoprophetae, qui etiam pridem eiusmodi animam amare simulabant impuri daemones, more inimicorum de illius casu laetantur.

BETH. VVLGATA.

Plorans plorauit in nocte, & lacrymae eius in maxillis eius: Non est qui consoletur eam ex omnibus caris eius: omnes amici eius spreuerunt eam, & facti sunt ei inimici.

HAEC itaq; ciuitas cum interdiu laboribus operibusq; vexaretur, neq; spatium ei ad calamitatis suae magnitudinem cogitandam daretur, de nocte cum a laboribus feriata esset, & ad mala sua cogitanda tempus haberet, assidue plorabat, & tempus a natura quieti concessum, in gemitu ac luctu traducebat. Neque vero luctum voce tantummodo plo ratuque continuo promebat, sed lacrymis quoque tamquam riuis iugiter defluentibus, intimum acerbissimumq; dolorem testabatur. Ac fuisset nonnulla dolori ac luctui quies, si inflictum cordi maerentis vulnus amicorum officijs atque consolatione tamquam adhibito medicamento lenitum esset: Sed medicina doloris nulla est, nullum linguae fouentis leuamen: neque tam dolendum esset, si alieni nullaq; beneuolentia con iuncti consolationis officium non praestarẽt: Illud maxime do lorem auget, quod amici derelinquunt, & ab afflicta amicitia recedunt, & se amicos fuisse obliuiscuntur: parum est, etiam inimici fiunt, & de malis eius exultant.

§ Plarans plorauit.§ Sic de ciuitate propheta, tamquam de mu liere viro destituta loquitur, eiq; personã lugentis affingit. Ci uitatẽ porro, aut locũ ipsum, aut potius paucos illos homines in ciuitate post excidium illius relictos debemus accipere, qui publicis operibus agrisq; colendis seruiebant, ac tributa Regi victori pendebãt. Ploratus autẽ ad vocem pertinet, lacrymae

vero

vero ad illũ ex animi dolore ab oculis fluentem humorem. Ergo vt maximum dolorem ostendat, vtrumq; coniungit. Sunt enim qui ficto aut mediocri dolore plorent. At qui ita plorat, vt cum ploratu lacrymas vbertim defluentes adiungat, ille demum in vero & summo luctu est. ⸗ In nocte, ⸗ hac voce vel cõtinuus luctus indicatur, tamquam ne de nocte quidem, quum a molestijs & angoribus quiescere solent homines, ipsa cesset a fletu; vel opportunum ad sua mala cogitanda tempus, quum sensibus quiescentibus, mens suo operi intenta est, & aerumnas ipsa suas repetit atque reuoluit. ⸗ Omnes amici eius. ⸗ Nihil in aduersis rebus luctuosius, quam illa amicorum inconstantia atque perfidia, de qua praecipue Iob conqueritur dicens, ⸗ Fratres meos longe fecit a me, & noti mei quasi alieni recesserunt a me. Dereliquerunt me propinqui mei, & qui me nouerant obliti sunt mei. ⸗ In eo enim non amicum dilexisse cum floreret, sed res amici demonstrant. Hos Ierusalem amicos, vel foederatos cum illa populos intelligere possumus, vel exterarum gentium Deos, qui cum ipsi infirmi essent, nulla in re adiumento laboranti Ierusalem esse potuerunt; immo vero etiam perniciem attulerunt, cum Chaldaei a quibus colebantur & pro Dijs habebantur, illam euerterint, & hostes illius fuerint. Quod enim populi ipsorum cultores fecerunt, id illorum Dijs iure ascribi potest. Ita per Ezechielem Dominus dicit, ⸗ Ecce ego suscitabo omnes amatores tuos contra te, de quibus satiata est anima tua, & congregabo eos aduersum te in circuitu, & agent tecum in odio, & tollent omnes labores tuos, & dimittent te nudam & ignominia plenam.

Iob 19.

Ezech. 23.

GIMEL. L X X.

Migrauit Iudaea propter humiliationem suam, & propter multitudinem seruitutis suae: Sedit in gentibus, non inuenit requiem: Omnes persecutores eius apprehenderunt eam in medio tribulantium.

ORIGENIS. Ad litteram talis erit sensus. Suum locum Iudaea mutauit: cuius demigrationis causam illi attulit partim eius humiliatio, in quam deiecta est peccando,

& ſtatum illum ſublimem & erectum quem prius habebat cũ in pietate maneret relinquendo: partim magna ſeruitus eius in quam ſe vitijs ac paſſionibus ſubijciendo redacta eſt: trãſlata vero in gentibus collocata eſt, vbi requiem inuenire nõ potuit, omnibus inimicis illam inſectantibus & comprendentibus atque tenentibus, cum inter gentes eſſet illam tribulantes. OLYMPIOD. {Migrauit Iudaea.} A ſede virtutis, ad vitij locum. {Et propter multitudinem ſeruitutis ſuae.} Spoliata namque gloria quam prius habebat, in ſeruitutem tradita eſt. {Non inuenit requiem.} Nam quia ſe tradidit aduerſarijs, ideo a Dei requie longe facta eſt. {Omnes perſecutores eius apprehẽderunt eam in medio tribulantium.} Vbi namq; a Dei via quiſquam diuerterit, a vitijs capitur; tribulantes vero dicit impuros daemones: quoniam igitur vitia inſequuntur animam, & ſimul vitiorum effectores daemones, praecipit

1.Cor.6. Apoſtolus dicens, {Fugite fornicationem.}

GIMEL. VVLGATA.

Migrauit Iudas propter afflictionem & multitudinem ſeruitutis; habitauit inter gentes, nec inuenit requiem: Omnes perſecutores eius apprehenderunt eam inter anguſtias.

MVLTI e Iudaeis cum ceteros viderent ſuperbo Chaldaeorum imperio affligi, atque laborioſis operibus & tributis vexatos opprimi, maluerunt in alias terras migrare, quam in ſuis ſedibus tam infeliciter viuere. Itaque ad gentes quae finitimae erant, confugerunt, apud quas peregre habitarent: neque tamen ibi tuto conſiſtere ac requieſcere potuerunt. Multi etiam cum contra praeceptum Domini in Aegyptum deſcendiſſent, ibi tamquam in anguſtijs quibuſdam ab inſequentibus Chaldaeis comprehenſi, victi, captique ſunt. Itaque nullum illis perfugium fuit, nullus tutus ad habitandum locus, ſed aut in ſua terra neceſſe erat miſero ſeruitutis genere afflictari, aut in aliena quietẽ ſimul & vitam amittere. {Migrauit Iudas.} Hoc de illis Iudaeis dictum puto, qui capta iam ciuitate, prae timore Chaldaeorum & propter multitudinem ſeruitutis ac laborum quos ſi in Iudaea manſiſſent perpeti

perpeti necesse erat, in alias oras atq; regiones proficisci maluerunt; quales illi fuerunt, quos hic idem Propheta inuitus licet, secutus est in Aegyptum, vt est in eius prophetia ca. 40. Ierem. 40.
ac deinceps. neque vero obijci potest, quod L X X. transtulerunt μετῳκίσθη, migrare coactus est, quasi non sponte sed inuiti alieno imperio parere coacti migrauerint. nam & si sponte in Aegyptū profecti videantur, tamen re vera etiam ipsi coacti sunt eo descendere, cum Chaldaeorum saeuitiam, & victoris Regis iras pertimescerent, & tamquam a duro Domino ad labores & onera, & tributa adigente refugerent. Sed quamuis apud exteras gentes exulare, quam in patria sua seruire Chaldaeis satius putarent, tamen ne apud illas quidem gentes ad quas confugerant requiescere, & sedes quietas habere potuerunt: nam ijdem hostes, quos fugerant, in Aegyptum insecuti, cōprehenderunt eos, & in suam ditionē redegerunt. ¶ Propter afflictionem. ¶ Cum cepisset Nabuzardan vrbem Ierusalem, multos e Iudaeis occidit, multos captiuos asportauit: de pauperibus vero terrae reliquit in vinitores & agricolas. quorum afflictionem atque vexationem quum ij viderent, qui fugerant, & in Agyptum proficisci vellent, diu multumq; verbis Domini egit Ieremias vt eos ab ea sententia deduceret, neque quicquam profecit. vicit igitur eorum obstinatio, & in Aegyptum descenderunt. Sed quod metuebant effugere minime potuerunt. Quum enim in Aegypto se tutos esse a Regis Nabuchodonosor saeuitia putarēt, Ieremias Dei spiritu instinctus praedixit fore vt eodem Nabuchodonosor cum exercitu veniret, & Iudaeos omnes ad vnum fame ferroq; interimeret. Afflictionem itaq; vocat vexationem pauperum illorum, qui in Ierusalē & in Iudaea vinitores & agricolae relicti erant, qui & operari & ex labore suo tributum Regi Chaldaeorum pendere cogebantur. ¶ Et multitudinem seruitutis. ¶ Et conditio ipsa serui, & eius officia omnia seruitutis nomine comprehenduntur. Sed speciali quadam significatione ad agricolationis munera significanda hoc nomine scriptura solet vti, vt psal. 103. ¶ Exibit homo ad opus suum, & ad operationem suam vsque ad vesperam, ¶ quod in Hebraeo legitur, ¶ & ad seruitutem suam vsque ad vesperā. ¶

Ierem. 52. Ierem. 42. Psalm. 103.

nimirum

nimirum colendorum agrorum laborem seruitutis nomine Psal.146. Scriptura indicauit. psalmo quoque 146. § Qui producit in montibus fenum,& herbam seruituti hominum. § non enim quod ait, § seruituti hominum, § idem est ac si dixisset vsui hominum, sed § seruituti hominum § id significat, culturae hominum. nam cum prius dixisset Deum producere in montibus tamquam in incultis locis fenum iumentorum pabulum, opponere voluit loco locum, fructui fructum. itaq; loco incul to seruitutem hominum, feno iumentotum cibo, herbam qua vescuntur homines opposuit. § Habitauit inter gentes, nec inuenit requiem. § Qui ex Iudaeis fugerant, locum nullum vbi tuto possent consistere inuenerunt: nam,& in Idumaeam, & ad filios Ammon fugerunt: & postea cum audissent Godoliam a Rege Babylonis reliquijs Iudaeorum esse praefectum, rursus in terram Iuda ad eum conuenerunt: quo occiso timentes a Chaldaeis, in Aegyptum profecti sunt: ibi eos exercitus Chaldaeorum adueniens oppresit. itaque nusquam requiem, hoc est tutas firmasq; sedes inuenerunt, adeo vt etiam Baruch, qui non sponte, sed ducum voluntati cedens simul cũ Ierem.45. ceteris eo descenderat, conquereretur dicens, § Vae misero mihi, quoniam addidit Dominus dolorem dolori meo, nec inueni requiem. § poenis nimirum illis agebantur & vrgebantur, Deut.28. quas Moyses in Deuteronomio praedixerat; § Disperget, inquit, te Dominus in omnes populos, a summitate terrae vsque ad terminos eius; & serujes ibi Dijs alienis, quos & tu ignoras & patres tui; lignis & lapidibus; in gentibus quoque illis non quiesces, neque erit requies vestigio pedis tui; dabit tibi Dominus ibi cor pauidum & deficientes oculos, & animam consumptam maerore, & erit vita tua quasi pendens ante te,& non credes vitae tuae. § § Omnes persecutores eius apprehenderunt eum inter angustias. § Allegoria elegantissma Iudaeorum qui in Aegyptum fugerant oppressionem latenter indicare videtur: de qua re in Ieremiae prophetia legimus capite 42. & 44. Fugientes enim si in angustias aliquas venerint, vnde nullus pateat exitus, facile ab insequentibus comprehenduntur. Non solum autem eleganti allegoria vsus est, sed etiam ad Aegypti nomen aptissima: Simillima enim

sunt

ſunt in Hebraica lingua Aegypti nomen & anguſtiarum.hae namque metſarim dicuntur, Aegyptus vero Metſraim.Nomine itaque anguſtiarum,tamquam ſimillimo,Aegyptum intellexit.Praedixerat autem illis Ieremias fore vt ſi in Aegyptum ingrederentur, a Chaldaeis perſecutoribus ibidem comprehenderentur. ʒ Audite inquit verbum Domini reliquiae Iuda,haec dicit Dominus Deus exercituum,Deus Iſrael:Si poſueritis faciem veſtram vt ingrediamini Aegyptum, & intraueritis vt ibi habitetis,gladius quem vos formidatis, ibi comprehendet vos in terra Agypti; & fames pro qua eſtis ſoliciti,adhaerebit vobis in Aegypto,& ibi moriemini. Ierem.42.

DALETH. L X X.

Viae Sion lugent, eo quod non ſint qui veniant ad ſolennitatem. Omnes portae eius deſtructae: Sacerdotes eius gemunt: virgines eius abductae, & ipſa amaricata in ſe.

SEVERVS IN EPISTOLA AD MONACHOS. Sion erat arx Ieruſalem: ideo etiam Sion appellatur.Sion enim ſublimem ſpeculam ſignificat,quae eſt Eccleſia, terrenis rebus excelſior; eo quod mundum hunc viſibilem,& quae in eo eſt fictam ſpeciem contemnit, ac Deum ſolum ſpectat, & ipſum excelſum ſpectatorem habet, qui non modo vniuerſis rebus conditis excelſior eſt, verum etiam illam diuina ſublimitate ſubleuat. ORIGENIS. Senſus ad litteram pertinens hic eſt. Quia lex praeceperat, ʒ ter in anno apparebit omne maſculinum tuum in conſpectu Domini Dei tui, ʒ extructo iam templo in Sion tempore Salomonis, populi quae praecepta fuerant exequi properabant.& cum circa Ieruſalem eſſent Iudaeae ciuitates,vndiq; viae erant in Sion ferentes. has igitur vias propheta luget captiuitatis cauſa maerentes, & ad ſummam ſolitudinem redactas; idque eo etiam tempore quo maxima laetitia & hilaritas erat, Iudaeis ad feſtum diem vndiq; in montē Sion feſtinantibus. Praeterea cum portae multae eſſent in Sion extructae per omnes tractus, eas omnes ſcriptura deſtructas eſſe dicit: Et ſacerdotes gemere,quod nimirum ſacerdotalia munera pro feſtorum aliorumq; dierum conſuetudine exequi minime liceret: vel quia captiui abducti erant, Exod.23.

vel

vel quia nullus ad eos accedebat qui sacra munera expeteret. Quin etiam virgines inquit Sion abducuntur, haud dubiũ quin a victoribus hostibus. EIVSDEM. Quod vero ad excelsiorem intelligentiam pertinet, speculatricis contemplatricisq; facultatis quae Sion vocatur, multae sunt variorũ dogmatum viae mysticorum simul & naturalium, & moralium, etiam rationalium fortasse, quae ad propositarum rerum intelligentiam & contemplationem ferunt. Cum itaque quispiam horum exercitatione perdita confusus fuerit, omnes hae viae lugent nullo ambulante. Cumq; celebritas proposita sit in praedictis vijs, neque exquirendo, & vt ita dicam pertranseundo quispiam per eas iter habet, & lugent, quia dum non inuestigantur, neque per eas tenditur desolantur, propterea quod qui ambulabant exciderint, & a vitijs ad peiora vitia captiui ducti sint. EIVSDEM. Tribus per annum temporibus lege praeceptum erat vt omne masculinum appareret, in Pascha, in festo primitiarum, & in Scenopegia. His igitur tribus festiuitatibus Iudaei vndique conueniunt Ierusalem. Ergo secundum historiam nullo in Sion propter vrbis euersionem veniente, lugent viae. Secundum altiorem intelligentiam vero, disciplinae per quas ad virtutem quisque ingreditur, in luctu sunt, proposito discentium amputato: § Omnes portae eius destructae. § OLYMPIOD. Doctores, qui neq; ipsi ingrediuntur in regnum Dei, & ingredientes prohibent. § Sacerdotes eius gemunt. § SEVERI EX EPISTOLA AD MONACHOS. Sacerdotes eius pro eo vt docerent gemunt, tacentes taciturnitatem sibi quidem luctuosam, fidelibus vero damnosam. OLYMPIOD. Ad litteram, quia nulli sunt qui offerant. Ad spiritualem vero intelligentiam, sacerdotales illi virtutis modi, quia nullus accurrit. § Virgines eius abductae. § EX INCERTO. Sacratae Christo virgines locum ex loco mutant, & abducuntur. & nihil ipsi Sion relinquitur pro his omnibus dolenti, atque maerenti, nisi intra semetipsam angi, & aduersos casus aegre ferendo, singillatim recensere ac lugere, & clamare ad Dominum, § Defecit gaudium cordis nostri. § OLYMPIOD. Incorrupti illi & integrimores, non libere gradientes, propter magistrorum corruptam traditionem.

Exod. 23.

ditionem. § Et ipsa amaricata in se. § ORIGENIS. Illa inquam Sion dulce nihil habens, ipsa per se in amaritudine degit: nam amaricari hoc in loco non est de specie quadam irae accipiendum.

DALETH. VVLGATA.

Viae Sion lugent, eo quod non sint qui veniant ad solennitatem. Omnes portae eius destructae, Sacerdotes eius gementes, virgines eius squalidae, & ipsa oppreßa amaritudine.

IVDAEIS plurimis caesis, magna ex parte captis, nonnullis etiam hac illacque dispersis, nulli sunt, qui iuxta gentis consuetudinem e diuersis locis ad templum quod erat in Sion, solennitatemq; ac festum diem celebrandum ter in anno veniant. itaque etiam ipsae viae, quae olim erant frequenti discursu tritae, propter infrequentiam venientium confusis vestigijs atque deletis, ita vt internosci non possint, paene lugere videntur. portae etiam illius nullo aut exeunte aut ingrediente desertae sunt: neq; enim vt prius ibi iudicia adhuc exercentur, neque seniorum coetus eo conuenit, nulla ibi publica negotia nulla priuata commercia agitantur, nulla holocausta, nullae victimae, nullae oblationes per eas inferuntur. Sacerdotes religionis ipsius maiestate ac pietate venerabiles, quorum vultus habitusq; humano propemodum erat augustior, accincti sacco lugubri amictu gemunt, sacrificijs ac libationibus de domo domini ablatis. Virgines quae prius laetae & alacres pro gentis more choros ducebãt, & festiuo in Deiq; laudem composito carmine mulcebant aures, nunc squalidae conticescunt, dolore maeroreque confectae. at ipsa ciuitas quae sacerdotes ac virgines comprehendit, veluti pia mater liberorum aerumnas grauiter ferẽs, quid aliud dicam vt eius magnitudinem doloris indicem? ipsa intimo atque acerbissimo maerore torquetur, & amaritudine oppressa est. § Viae Sion lugent. § Diuina lege sancitum erat, vt Israelitae ter in anno ad festos dies celebrandos Ierusalem conuenirent: § Ter in anno inquit apparebit omne masculinum tuum coram Domino Deo. § destructo igitur templo, Iudaeisq; interemptis, Exod. 23.

captis, fugatis, summa erat viarum solitudo, nemine ad celebrandas festiuitates veniente. § Lugent, § autem ex maximo affectu dictum est, & vijs anima carentibus sensus doloris datus, quod in translatis verbis est efficacissimum. § Ad solennitatem. § Solennitatis nomine communiori vsu festus dies appellatur: nonnullis autem hoc nomine templum significari
Psal. 73. visum est: quomodo dictum est etiam in psalmo 73. § Et gloriati sunt qui oderunt te, in medio solennitatis tuae. §

HE. L X X.

Facti sunt tribulantes eam in caput, & inimici eius felices facti sunt: quia Dominus humiliauit eam propter multitudinem impietatum eius. Paruuli eius abierunt in captiuitatem ante faciem tribulantis.

ORIGENIS. Litterae sensus eiusmodi est. tribulabant Iudaeae regionem, vel tribulare certe eam volebant nonnulli ante captiuitatis tempora, sed non poterant, Deo protegente Iudaeos, quum illi diuino auxilio se dignos praestabant. postea quam vero peccauerunt filij Israel, & prophetas non modo non audieruut, sed etiam interfecerunt, tunc in potestatem tribulantium traditi sunt, ita vt hostes illis in caput hoc est principes fierent, vt Symmachus interpretatus est. Ac fortasse cum inimici a tribulantibus aut subiecto aut etiam cogitatione diuersi essent, felices se esse putabāt, quod in inimicorum potestatem venissent ij, qui erant peccatorum suorum merito derelicti; cum Dominus propter multitudinem impietatum eos humiliasset, qui legem violauerant, eo vsque, vt ne infantibus quidē illorum vlla misericordiae pars relicta esset, sed in captiuitatem pergerent, & a tribulante quouis agerentur. § Felices facti sunt. § OLYMPIOD. Elati sunt Babylonij & noxij daemones. ORIGEN. Cum principes facti essent ac laetati, quod Dominus propter multitudinem impietatum ad humilitatem redegisset eos, qui federa in sanctis eloquijs descripta, cum eo inita non seruassent. § Paruuli eius abierunt in captiuitatem. § OLYMPIOD. Etiam qui propter peccatum nondum rei sunt, ad parentum poenā affliguntur. aut paruulos vocat homines sanctos propter pec-

cata

cata multitudiuis. aut etiam paruuli sunt animae quae nuper cum colere pietatē occepissent, in cursu virtutis lapsae sunt, & ad vitium reuersae. IDEM. Qui in captiuitatem abducunt cum pueros ante minent, ambulare cogunt: idem quoq; daemones faciunt, animam quocunq; eis libitum fuerit compellentes.

HE. VVLGATA.

Facti sunt hostes eius in capite, inimici eius locupletati sunt, quia Dominus locutus est super eam propter multitudinem iniquitatum eius: paruuli eius ducti sunt in captiuitatem ante faciem tribulantis.

QVI aduersus Ierusalem semper inimicum animum gesserant, id quoque assecuti sunt, vt ad malignitatem suae voluntatis, etiam potestatem acciperent, & domini ac principes illius facti sunt: in eorum ditione ac potestate posita est, qui in eam hostili sunt animo. illi in caput, illa in caudā facta est, vt ei teterrimis dominis necesse esset etiam adulari. Accedit ad dolorem, quod eos suis spolijs ac preda locupletatos videt, omnibusq; copijs plenos, cum ipsa in summa omnium rerum inopia versetur: cum ipsa inquieta sit & maxima perturbatione fluctuet, illos quiete summa & tranquillitate frui conspicit, ex suis cladibus & aerumnis laetos & alacres, quasi omnes in illius perniciem conspirauerint, & in vnius caput foederati inter se consociatiq; sint. Neque vero tanti mali euentus temere cecidit, sed diuino decreto ac prouidentia factum est vt ijs malis afficeretur, peccatis & iniquitatibus illius multis simul ac magnis ita commereutibus; nam quia saepe a Deo desciuit, eiusq; religionem cultumque deseruit ac fidem violauit, iusta illi poena irrogata est, vt quae Deo suo beneuolentissimo Domino atque benignissimo subijci sponte noluit, inimicorum suorum potestati ac ditioni subderetur inuita. Paruuli eius, qui adhuc in sinu matris fouebantur, qui nō nisi materna vbera nouerant, qui vixdum pedibus consistere poterant, ducti sunt in captiuitatem non libero incessu, sed ante faciem tribulantis & impellentis & ad ambulandum vrgentis inimici.

§Facti sunt hostes eius in capite.§ In capite fieri, est Dominum alicuius ac principem fieri, in sua potestate ac ditione aliquem habere. contraque in caudam fieri, est alteri subijci, sub alterius imperio ac dominatione esse. itaque legimus in Deuteronomio cap. 28. §Constituet te Dominus in caput & non in caudam; & eris semper supra & non subter.§ §Inimici eius locupletati sunt.§ Hebraeum verbum שלו, & locupletem esse significat, omnibusq; copijs abundare, quo sensu LXX. dixerunt εὐθηνοῦσαν, abundauerunt, & B. Hieronymus, locupletati sunt. & quieto statu frui, cui contrarium est agitari, commoueri, perturbatum esse: postremo pacem atque concordiã habere. quae tria in expositione comprehendere volui. §Quia Dominus locutus est super eam.§ Beatus Hieronymus verbum Hebraeum ab הגה deduxit, quod est loqui; LXX. a יגה quod est dolere, itaque transtulerunt, ὅτι κύριος ἐταπείνωσεν αὐτὴν, quia Dominus humiliauit, seu dolere fecit, seu afflixit eã. §Propter multitudinem iniquitatum eius.§ Quamuis iniquitas omne peccati genus comprehendere videatur, quia contra legem atque aequitatem sit, veraque sit illa B. Ioannis sententia, §Omnis qui facit peccatum, & iniquitatem facit, & peccatum est iniquitas,§ tamen hoc loco rebellionem, auersionem a Deo, fidei quam illi debemus violationem, foederũ cum illo initorum ruptionem significat: ideoque apte LXX. reddiderunt, §multitudinem impietatum.§ cum igitur haec ciuitas multipliciter Deum offendisset, eius foedere ac iure violato quo se ad illum colendum adorandumque deuinxerat; cumque se ab illo auertisset, & ad idola confugisset, non mirum si tantis malis, quanta sunt ea quae commemorauit, affecta est. §Paruuli eius ducti sunt in captiuitatem.§ Paruuli dicuntur עוללים Hebraea voce, tamquam racemi quidam sub folijs latitantes, ac saepe vindemiantis oculos manusque fugientes. inde aptissimo vocabulo a LXX. saepe redduntur ἐπιφυλλίδες: vt enim racemi folijs teguntur, sic hi sub matris vmbra sinuque fouentur.

Deut. 28.

1. Ioan. 3.

VAV.

VAV. L X X.

Et ablatus est a filia Sion omnis decor eius: facti sunt principes eius velut arietes non inuenientes pascua: & abibant absque fortitudine ante faciem insequentis.

ORIGENIS. Littera nobis quam maxime poterimus declaranda est, ac quaerendum quae nam sit filia Sion, & quibus in rebus decorem habeat; quae sint etiam pascua quibus indigent principes filiae Sion, arietum instar pastu carentium: & quomodo ij viribus cassi abeunt ante faciem insequentis. Existimamus igitur ipsum montem Sion esse, Synagogam quae in ea erat, filiam Sion appellari: Decorem vero filiae Sion, copiam vestium, quae copia direptionis tempore ab hostibus capta exijt ab his a quibus legitime possidebatur, hoc est asportata est: hoc enim exeundi verbũ rem significantius expressit. principes vero Synagogae, cum incumberẽt hostes, & captiuos ducerent, consueto victu indigentes, factos arietibus similes pastum non inuenientibus. Vt vero arietes pastu minime accepto, si agantur, debiliter ambulant, violentiae insequentium cedentes; sic principes quoque cum capti essent, & in victorum regionem abducerentur, ibant sine fortitudine ante faciem insequentis. EIVSDEM PER ANAGOGEN. Iuxta sublimiorem vero intelligentiam, talis quaedam anima est filia Sion: Exempli gratia, vt filia iustitiae quae iusta est, & filia Sapientiae quae sapiens, sic quoniam Sion specula est, speculatrix & per contemplationem inuestigatrix, apte filia Sion appelletur. Decorem vero illius ac dignitatem quid aliud conuenienter intelligam quàm diuitias veritatis cum sapientia contemplandi sancta dogmata coniunctas? Siquis igitur post dignitatem decoremq; partum, haec retinere, ac diuinas diuitias augere neglexerit, defluunt quae dudum eius ornamenta fuerant, & exeunt. Principes vero illi duces verbi, & qui ad eiusmodi decorem acquirendũ ducunt, arietum in morem ouium gregi praeeuntium, & pascua non inuenientium, ipsi quoq; ad inopiam rediguntur, vbi illa aduertere neglexerint, quae tum ipsos tum oues impinguare vt ita dicam possunt: Ideoque debilitati, & ab insequente comprehensi,

Origenes legit, ἐξῆλθε.

prehensi, qui est aduersarius noster diabolus, ante illum eunt, quocunque is agere voluerit compulsi. Quod si rursus praedicta haec filia Sion, suae pulchritudinis atque decoris curam habuerit, & suae dignitati tuendae studium impenderit, spernet & irridebit Assyriorum regem, vt ab Esaia didicimus, dicẽte, § Spreuit & irrisit te virgo filia Sion. § § Facti sunt princi- Esa. 37.
pes eius velut arietes non inuenientes pascua. § OLYMPIOD. Siue sacerdotes, siue qui alio modo duces erant populi, cum qui aliquid eis offerrent, nullos haberent. Iuxta sublimiorem vero sensum, vbi negligentia eos qui in discẽdo excellere poterant, quasi aestus quidam exiccauerit, modi illi didascalici hoc est doctoribus apti, pascua non inueniunt. § Et abibant absque fortitudine ante faciem insequentis. § OLYMPIOD. Cum in captiuitatem inquit agerentur, non amplius fortes erant; aut aliter, debiles facti sunt in peccati quodammodo vultum aspicere eique resistere non valentes.

VAV. VVLGATA.

Et egressus est a filia Sion omnis decor eius; facti sunt principes eius velut arietes non inuenientes pascua, & abierunt absque fortitudine ante faciem subsequentis.

FILIA Sion quae prius tamquam Regina quaedam omni regio cultu ornata, in honore & admiratione omniũ erat, & maiestatem regiam praeseferebat, iam omnibus illis praeclaris ornamẽtis spoliata est, regia dignitate ablata, principum splendore obscurato, nullam iam Sacerdotij veneratione relicta, templo diruto, sacra supellectili direpta, augusto illo sacroque cultu ac religionibus euersis. Principes eius qui viribus opibusque pollebant, & ad res gerendas populo duces erant, fame confecti atque debilitati, viribus exhaustis, non iam ceteris praeeuntes, sed tamquam arietes gregum duces pastum vnde peterent non habentes, infirmis vestigijs incesserunt, neque aut salutis cupiditas, aut insequentis hostis timor vires ad ambulandum addere poterat. Itaque cum fugere non valerent, ab hostibus comprehensi captique sunt. § Filia Sion. § Filiam Sion, habitatores & coetum ipsum ciuiũ Sion & Ierusalem vocat, vsitato scripturis loquendi modo, vt solent,

ſolent filiam Ieruſalem, filiam Babylonis, filiam Edom dicere, tamquam in vtero matris Sion contentam: quod enim eſt in vtero matris foetus, hoc quodãmodo in vrbe coetus populi. § Omnis decor eius.§ Decorem ex Hebraeis nonnulli regnum eſſe exiſtimant: quod ſi quicquid decet & pulchrum eſt, cur non multa alia ornamenta illius ciuitatis decorem eius fuiſſe putemus? De quo decore multa apud Ezechielem legimus capite 16. §Et vnxi te oleo, & veſtiui te diſcoloribus, & calceaui te hyacintho, & cinxi te byſſo, & indui te ſubtilibus, & ornaui te ornamento, & dedi armillas in manibus tuis, & torquem circa collum tuum, & dedi inaurem ſuper os tuum, & circulos auribus tuis, & coronam decoris in capite tuo, & ornata es auro & argento, & veſtita es byſſo & polymito & multicoloribus: Similam & mel & oleum comediſti, & decora facta es vehementer nimis, & profeciſti in regnum.§ quem omnem decorem, quia male & vſa erat, ab ea auferendum pauló poſt vaticinatur. §Et denudabunt inquit, te veſtimentis tuis, & auferent vaſa decoris tui, & derelinquent te nudam plenamque ignominia.§ §Facti ſunt principes eius velut arietes.§ Apte principes arietibus comparauit: nam vt illi gregibus ouium praeeunt, & ſunt ouibus fortiores, ſic principes cum viribus polleant, populos praecedunt: Arietes autem Hebraea lingua a fortitudine appellauit. Quamobrem admirabiliter ac praeter opinionem ſubiunxit, § abierunt abſque fortitudine: § hoc eſt arietes eſſe arietes deſierunt. De quibus ſcriptum eſt in libro huius ipſius prophetae capite vltimo, §Et omnes viri bellatores fugerunt, § & quae ſequuntur: et paulo poſt, cum eos Chaldaei inſequentes comprehẽdiſſent, § Omnes inquit principes Iuda occidit in Reblatha.§ §Ante faciem ſubſequentis, § ante faciem Chaldaeorum inſequentium. Poteſt etiam hoc quod de principibus dicitur, non de eorum fuga & Chaldaeorum inſecutione atque comprehenſione intelligi, ſed ad illud tempus referri, cum captiui ducerentur, & propter toleratum famis incommodum adeó infirmi ac debiles eſſent, vt etiam inſtante victore & ad iter impellente, vix ingredi poſſent.

Ezech. 16.

Ierem. 52.

ZAIN.

ZAIN. L X X.

Recordata est Hierusalem dierum humiliationis suae & eiectionum suarum, omnium desiderabilium suorum quae fuerunt in diebus antiquis, cum caderet populus eius in manu tribulantis, & non esset qui auxiliaretur ei. Videntes inimici eius, riserunt super transmigratione eius.

OLYMPIOD. Memoria repetijt, inquit, dies qui humiliationem eius praecesserant, cum Hierusalem habitarent, & oblationes haberent. Aut aliter. Suorum peccatorum recordati sunt, propter quae captiuitas accidit. ORIGENIS. Nam qui dum in malis est, recordatur, nõ praesentia sed praeterita recolit. ET POST PAVCA. His dubitationibus in hoc loco propositis, dum quaerimus quae nam sit praeteritae humiliationis & eiectionum eius recordatio, propterea quod ceciderit populus eius in manus hostium, & quae subiunguntur illi acciderint, illud obseruo, fortasse humiliationem proprie non aliam esse quam peccati; vt contra exaltatio non est nisi virtutis executio, & eiectio non est alterius rei quam factorum improborum opus: Haec enim ad nos a Deo ab omnique re praeclara & secundum naturam eijciendos satis habent virium. Quando igitur temulenta Hierusalem, idest eius habitatores, & sui minime compos, a peccato humiliabatur, suos lapsus minime aduertebat. Vbi vero eius retributio venit, dum caderet populus eius in manus tribulantis, nullo auxilium ferente, tunc demum recordata est eorum propter quae haec patiebatur, in illis causas fuisse deprehendens, vt caderet populus eius, & sine vllis auxilijs derelinqueretur. ET POST PAVCA. Quod si talis anima est Hierusalem; quaerendum videtur, quis nam sit eius populus, quo cadente in manus tribulantis, quod non esset auxiliator; ipsa recordatur dierum humiliationis suae atque etiam suarum quibus eiecta ipsa est eiectionum, ad haec omnium etiam desiderabilium suorum, quae fuerant a diebus antiquis. Vide autem ne illae quae in anima sciente sunt speculationes, populus Hierusalem sit,

lem sit, qui per incuriam & negligētiam animae cadit, a quouis tribulante prostratus. Excidunt namque negligentibus dogmata, a peccatis regionem obtinentibus elisa in eo qui meliora negligit, cum ex ratione auxilium nullum habeat. § Omnium desiderabilium suorum. § OLYMPIODORI. Desiderabilia eius ad litteram quidem sunt, Templum, celebritates, oblationes, sacra vasa: ad sublimiorem intelligentiam, recordata est inquit desideriorum suorum, quae cum sequeretur, captiua facta est. § Videntes inimici eius, riserunt super transmigratione eius. § OLYMPIODORI. Solent namque daemones quum prostrauerint animam, tunc illam irridere.

ZAIN. VVLGATA.

Recordata est Ierusalem dierum afflictionis suae & praeuaricationis, omnium desiderabilium suorum quae habuerat a diebus antiquis, cum caderet populus eius in manu hostili, & non esset auxiliator: Viderunt eam hostes, & deriserunt Sabbata eius.

IN captiuitate sua Ierusalem quamuis ipse praesentis mali & seruitutis sensus illi molestissimus erat, tamen illorū dierū memoria, cum primum affligi coepit & e sua felicitate deiecta est, multo vehementius torquebatur, eoq; magis angebatur, quod praeuaricationis suae culpam intelligebat sibi ipsi horum malorum causam extitisse. Tertia accedebat maxima doloris causa, illa pristinae felicitatis memoria, cum illā qua quondam florebat gloriam, opes, rerum ad aspectum pulcherrimarum atque pretiosissimarum copiā cogitatione atq; animo repeteret, templum, vasa sacra, variam supellectilem, altare thymiamatis, aureum candelabrū & reliqua sacri cultus instrumenta. Illud autem in primis dolorem afferebat, quod cum caderet populus eius in manu hostili, libentissime illius perniciem inimici aspiciebant, & eius Sabbata, cessationem, solitudinem destructionemque deridebant.

§ Recordata est Ierusalem. § Hebraei hunc locum sic interpretantur, in diebus afflictionis suae recordata est omnium desiderabilium suorum quae habuerat: quorum amissione

cruciabatur:nam augetur dolor, quum aduersae res cum felici statu conferuntur:non enim adeo cruciat praesentium malorũ perpessio,quam amissae felicitatis recordatio. Quam vero beatus Hieronymus preuaricationem dixit, illi maerorem ac fletum intelligunt. Sed vulgatae versionis sensum exprimere volui,ac praeuaricationem facinus illud intellexi, cum foedere violato Deum suum deseruit,& alios Deos secuta est, quae illi causa afflictionis fuit. LXX. vero non praeuaricationem sed ἀπωσμῶν transtulerunt,hoc est expulsionum,cum e sede patria expulsa eiectaque est. § Omnium desiderabilium suorum. § Templum ipsum desiderabile erat,de quo videtur
Isa.64. Isaias dicere capite 64. § Domus sanctificationis nostrae & gloriae nostrae vbi laudauerunt te patres nostri, facta est in exustionem ignis, & omnia desiderabilia nostra versa sunt in ruinas. § Erant etiam vasa illa sacra & supellectilia pretiosa, desiderabilia,vt in hoc eodem capite paulo post scriptum est, § Manum suam misit hostis ad omnia desiderabilia eius. § § Quum caderet populus eius in manu hostili,& non esset auxiliator:Viderunt eam hostes & deriserunt Sabbata eius.§ Ita mihi pars haec coniungi commode posse visa est, & exponi, vt etiam in Hebraeo coniungitur. Nam perfecta distinctio quam ipsi Athnah vocant post illa verba, § quae habuerat a diebus antiquis,§ posita est apud illos.deinde quasi ex alio initio sequitur, § Quum caderet populus eius, § & quae sequuntur.quando illam hostes viderunt ac deriserunt? quum caderet populus eius in manu hostili, tunc illius casum insolenter tulerunt ac laetati sunt. § Et non esset auxiliator. § De rege Aegypti hoc dicere videtur, qui a Iudaeis vt illis auxilio aduersus Chaldaeos esset euocatus,cũ exisset, a Chaldaeis omissa obsidio est.Sed illo in Aegyptum reuertente, redierunt ad obsidendam Ierusalem Chaldaei. Lege Ieremiae prophetiam
Ierem. 37. capite 37. Aegyptiorum itaque perfidiam his verbis, & vanã
Lament.4. Iudaeorum spem denotat: quod etiam huius libelli capite 4. facit, § Defecerunt inquit oculi nostri ad auxilium nostrum vanum cum respiceremus attenti ad gẽtem quae saluare non poterat. § § Et deriserunt sabbata eius.§ Sabbata ciuitatis mihi videtur illa solitudo dici, cum nullus esset, aut paucissimi

certe qui per illam ingrederentur & egrederentur: cum a negotijs ac strepitu frequentiae quiesceret, forum sileret, commercia rara essent: videtur enim ea ciuitas feriata esse & otiū agere quae ad solitudinem redacta est. haec sunt sabbata ciuitatis. quod eidem genti minatus est in Leuitico Dominus, Leuit. 26.
§ Et erit terra vestra deserta & ciuitates dirutae. Tunc placebunt terrae sabbata sua cunctis diebus solitudinis suae: quando fueritis in terra hostili, sabbatizabit & requiescet in sabbatis solitudinis suae; eo quod non requieueritis in sabbatis vestris, quando habitabatis in ea. § Alij sabbata cessationem eius intelligunt, cum vel a gaudio cessauit, vel desijt esse ciuitas atque destructa est. Aut sabbata eius, eorum inertiam dicit, quod segnes domi manerent atque sederent, neque ad Exod. 16.
pugnandum die sabbati exirent: sicut in Exodo dictum est, § Et sabbatizauit populus, § quia e tabernaculis ad manna colligendum non prodierunt. Sunt qui huius versus ambitum, & quasi lacinias orationis in hūc modum adstringant. Siquando Hierusalem in captiuitate tempus illud quum caderet populus eius in manu hostili, & praeclara illa ornamenta quae olim habebat, commemorare velit, hostes eam videntes derident in tantas illam angustias venisse, vt illi sabbatizare sit necesse & quid faciat, quove se vertat non habeat.

HETH. L X X.

Peccatum peccauit Ierusalem, propterea in commotionem facta est. Omnes qui glorificabant eam, humiliauerunt illam. Viderunt enim ignominiam eius: quin etiam ipsa gemens, & conuersa est retrorsum.

ORIGENIS. Verborum sensus eiusmodi est. Quoniam peccatum peccauit Ierusalem, in commotionem ac perturbationem incidit, eousque, vt omnes qui prius illam glorificabant, mutati, eiusmodi ciuitatem despicerent, cum eius ignominiam vidissent. Ipsa vero propter illa quae merito peccatorum passa est, cum in commotionem & in ignominiā hominum antea glorificantium incidisset, gemens, non vltra in peccatis progressa, sed illa minuens regressa est. ET POST PAVCA. Quod si Ierusalem talis quaedam anima dicitur so-

lers ac perſpicax & pacis Dei quae exuperat omnem ſenſum contemplatrix, quia fieri poteſt hanc quoque multis de cauſis peccare, id ſignificatur in eo quod in commotionem decidit, cum defeciſſet ab honeſtis actionibus, & ad vitioſas tranſiſſet: Quiſquis porro a virtute recedit, & cum vitijs verſatur, eum in commotione eſſe veriſſime dicitur. § Peccatũ peccauit Ieruſalem. § OLYMPIODORI. Ad litteram quidem Synagoga in captiuitatem abducta: ad ſpiritualem ſenſum, anima peccatorum morbo laborans, & a recto ſtatu dimota. §Omnes qui glorificabant eam, humiliauerunt illam.§ OLYMPIOD. Vel daemones qui prius eam attollebant, quum illis ſacrificia exhibebat Synagoga; quos poſtea auerſata eſt: vel etiã ſanctorum virorum animae quae ex affectu diligebant Hieruſalem, & illam cum recte faceret glorificabant, cũ peccaret auerſabantur. § Viderunt enim ignominiam eius. § OLYMPIOD. Illo namque graui ſupplicio eius peccata detecta aper taque ſunt, propter quae etiam ſic mulctata eſt. § Quin etiam ipſa gemens, & conuerſa eſt retrorſum. § IDEM. Synagoga quidem non amplius daemonibus ſeruiens: talis vero anima ad ſenſum malorum ſuorum veniens, & gemens, & quodam modo a peccatis ſenſim remeare cupiens. ORIGENIS. Declarat quomodo peccata intermiſerit Ieruſalem, cum non vlterius in peccatis progrederetur, neque in illis permaneret, ſed retrorſum ſuo bono conuerteretur.

HETH. VVLGATA.

Peccatum peccauit Ieruſalẽ, propterea inſtabilis facta eſt. Omnes qui glorificabant eã, ſpreuerunt illam, quia viderunt ignominiã eius: ipſa autẽ gemens conuerſa eſt retrorſum.

SI cuſtodiſſet Ieruſalem praecepta Domini, & vniuerſam legem quam mandauerat per Moyſen, nunquam eius veſtigia mota eſſent, neque inſtabilis facta de loco ſuo deturbata fuiſſet. Sed quia peccatum peccauit, & Regis ſui Manaſſe impietatem ſecuta, idolum ab illo in templo Domini ſummo cum ſcelere collocatum adorauit, & ſe tanto facinore obſtrinxit, ideo nutauerunt pedes eius, & ſtabili gradu non permanſit, ſed e ſuis ſedibus eiecta, in alienas regiones abducta eſt. Et

ſicut

ſicut decora honeſtaque mulier honeſtatis & pulchritudinis nomine in admiratione eſt & laudatur; at ſi turpitudo eius aliqua & probrum appareat, contemnitur ac ſpernitur, ſic Ieruſalem olim vbique praedicabatur, & magna apud omnes de eius gloria erat opinio: at vbi eius infirmitas apparuit, & a Chaldaeis victa atque expugnata eſt, tum vero ijdem qui glorificauerant ſpreuerunt illam, & tamquam turpitudine eius detecta contempſerunt: Ipſa autem prae pudore atque verecundia vultum ſpernentis atque contemnentis contra intueri non ſuſtinens, conuerſa eſt retrorſum, & vultum auertit ſuũ. § Peccatum peccauit Ieruſalem. § Peccato reatus incurritur, & poenae fit peccans obnoxius. Inſtabilitas vero poena eſt quae peccanti irrogatur. Hanc autem inſtabilitatis & fluctuationis poenam idololatriae praecipue irrogatam eſſe legimus 4. Regum capite 21. § Poſuit inquit Manaſſes idolum luci quem fecerat, in templo Domini; ſuper quo locutus eſt Dominus ad Dauid, & ad Salomonem filium eius; In templo hoc, & in Ieruſalem quam elegi de cunctis tribubus Iſrael, ponam nomen in ſempiternum; & vltra non faciam commoueri pedem in Iſrael de terra quam dedi patribus eorum; ſi tamen cuſtodierint opere omnia quae praecepi eis, & vniuerſam legem quam mandauit eis ſeruus meus Moyſes. § Si igitur cultu religioneq; veri Dei ſtante, pollicetur fore vt vltra Iſraelis pedes non commoueantur, liquet ideo Ieruſalem inſtabilem factam eſſe, quia Dei ſui cultum abiecerat. Hoc etiam ad Salomonem dictum eſt 3. Regum cap. 9. § Si abieritis & colueritis Deos alienos & adoraueritis eos, auferam Iſrael de ſuperficie terrae quam dedi eis. § Propterea inſtabilis facta eſt. Hebraeum verbum נדה, tam LXX. interpretes quam beatus Hieronymus in ſignificatione commotionis ſeu inſtabilitatis acceperunt. Sed quia ſignificare poteſt etiam menſtruatae mulieris ſeparationem, quam Graeci ἄφεδρον vocant, & conſequentia verba ad hanc ſignificationem aptiſſime cadunt, § Viderunt ignominiam eius, § & verſu ſequenti, § Sordes eius in pedibus eius, § ideo haec verba illam quoque expoſitionem capere poſſunt, vt figurate tamquam de muliere menſtruis laborante atque immunda, ſic de Ieruſalem ſermo ſit:

4. Reg 21.

mo ſit:qua etiam figurata locutione paulo poſt vtitur, ʒFacta eſt Ieruſalem quaſi polluta menſtruis inter eos. ʒ Peccatum igitur Ieruſalem ſanguis ille immundus eſt, quo laborauit atque polluta eſt. Quamobrem tamquam impura ſeparata eſt,& a ſanctis prohibita: Verba namque Hebraica etiã hunc ſenſum ferunt, ʒPeccatum peccauit Ieruſalem, propterea in ſegregationem facta eſt. ʒ Non deſunt quibus commotio, deriſionem ſignificare videatur, vt ſit, Peccatum peccauit Ieruſalem, propterea in deriſionem facta eſt: Nam quia deridentes commouere caput ſolebant, ideo commotio deriſionem indicare poteſt, vt non quaelibet ſit commotio, ſed capitis agitatio. ʒ Quia viderunt ignominiam eius. ʒ Detectis ex poenae magnitudine eius flagitijs, & idolatria quae ſpiritualis inſtar eſt adulterij, indicata, qui prius illam magnificabant, irridere atque contemnere coeperunt, omnemque priſtinam de illa opinionem abiecerunt. Perſiſtit autem in mulieris immundae metaphora, cuius immunditia palam appareat & vulgo conſpiciatur.

TETH. L X X.

Immunditia eius ante pedes eius. Non eſt recordata nouiſſimorum ſuorum, & deiecit immenſa: non eſt qui conſoletur eam. Vide Domine humilitatem meam, quoniam magnificatus eſt inimicus.

OLYMPIOD. aut fortaſſe: ORIGENIS. Iuxta craſſiorem expoſitionem, quod nunc de Ieruſalem dicitur, tale eſt, Immunditia Ieruſalem impedimentum eius. cuius nam vero rei impedimentum eſſet, nobis intelligendum propheta reliquit: ac fortaſſe indicat immunditiam hãc inceſſum ipſius impedire. Sed etiam ipſa talem ſe eſſe ſignificat, nam Ieruſalem non eſt nouiſſimorum ſuorum recordata. Haec vero qui ante oculos habuerit & viderit quid de peccatis euenturum ſit, non peccabit. Ex hac itaque immunditia impedimentum illi accidit, propterea quod non recordabatur nouiſſimorum ſuorum. Admiranda illa magnaque ornamenta ſua quae habebat, quum digna quae inſpiceretur eſſet, deiecit, & in humilitatem adduxit, quae prius erant immenſa

Origenes legit, *ἀκαθαρσία αὐτῆς ἐμπόδιον αὐτῆς.*

mensa & omni laude maiora: quin etiam post haec omnia nō erat qui consolaretur eam, quae summa sua decora deiecerat. Super his vide meam loquentis humilitatem Domine: quandoquidem inimicus propter illa quae meae patriae euenerunt, magnificatus est. ET POST PAVCA. Quaerendum tamen iuxta anagogiae leges, an possit immunditia cuiquam inesse, qui eius causa non fuerit. Videamus autem etiam priora illa intelligibilia. De throno eiusmodi anima cum deciderit, omnino vt in immunditia sit necesse est, quae immunditia sanctam viam ambulare prohibet. Ac quemadmodum sacro viro Moysi in sancto loco gradienti, & eius successori Iosue a Deo praecipitur vt calceamenta soluant, quod minime conueniret in sacro loco mortuā pellem habere pedibus circumpositam, sic qui sine impedimento ambulaturus est, ei fortasse non modo calceamenta resoluenda sunt, sed etiam immunditia de puluere circa pedes contracta, est abluenda: eiusq; rei symbolum putamus esse, quod Saluator missa in peluim aqua pedes discipulorum lauit, dicens Petro qui adhuc mysterium ignorabat, ob eamque causam id fieri prohibebat, § Si non lauero te, non habebis partem mecum. § &, § Quod ego facio tu nescis modo, scies autem postea. § Igitur consideranda est immunditia circa pedes vt ita dicam animi, & orandus Iesus vt illum abluat, vt partem habere cum illo possimus: nā si illa permanserit, impedimento erit, ne per viam illam secundum sanum sermonem ambulemus: per ipsum inquam Saluatorem qui dixit, § ego sum via. § § Non est recordata nouissimorum suorum. § ORIGENIS. Aut fortasse, OLYMP. Liquet autem eam animam quae sana sit, aut eam certe quae talis esse velit, ita facere, cum non tam id quod praesens est consideret, quam ex his quae geruntur, quid sit etiam iu posterum euenturum prospiciat, & si quādo dum adest aliquid quod ad praesens iucundum putetur, prospexerit quid acerbitatis in futurum eueniat, eo dimisso quod delectabile videtur, id facere quod illi contrarium est, ne postea in asperum exitum incidat. Sin contra res aliqua aerumnosa sit ad praesens, & eam quamuis ad speciem molesta sit, bona spes excipiat, illius rei molestiam quae aspera existimatur, sponte subituram, vt dulcem

Exod. 3.

Iosue 5.

Ioan. 13.

Ioan. 14.

cem illum fructum qui asperarum rerum tolerantiae succedit, consequatur. {Non est qui consoletur eam.} ORIGENIS. His omnibus inquit malis affecta illa quae Ierusalem figurate vocatur, ne consolatoris quidem copiam habuit: nā rationem quae in se inerat cum esset auersata, totamq; se passioni tradidisset, auxiliatorem illum perdidit, qui vigilantem & intentum animi affectum ad labores tolerandos & ea perferenda quae aspera putantur, semper armabat. In his vero mei ciuis humilitatem vide: Tamquam si cognata anima dicat, ciuis mei malum pro humanitate quam didici, mea est calamitas. Vide igitur Domine, & praedicta mala passam ne penitus derelinquas: ne despicias dum eius inimicus, vitium inquam, aduersus illam magnificatur & effunditur. Hoc vero {Vide Domine humilitatem meā,} potest ab ea quae in anima inest ratione figurate dici, quae & dedecorata sit, & humiliata, & vt ita dicam, regiam dignitatem amiserit. OLYMPIOD. Peccantium calamitates hic sanctus vir suas putat, & preces pro illis offert.

TETH. VVLGATA.

Sordes eius in pedibus eius, nec recordata est finis sui: Deposita est vehementer, non habens consolatorem. Vide Domine afflictionem meam, quoniam erectus est inimicus.

SICVT mulieris alioqui decorae immunditiam, cruor si in pedibus appareat turpissime prodit, sic Ierusalem flagitia atq; scelera diuina vltio, quae pedum instar est, cum extremum factorum sit, & facta turpia consequatur, summa cū illius ignominia prodidit atque detexit. Quid vero consecuturum iam esset, quive finis peccatorum futurus, quum peccaret non aduertebat, neque cogitabat, nullum fructum esse alium peccandi quam de peccatis paulo post erubescere. Quā obrem de gloria sua atque amplitudine cecidit ac deiecta est casu adeo insolito & vehementi, vt omnes mirentur; neque eius dolorem quisquam est qui consolationis lenimento mitiget ac minuat. Vide Domine, ne auertas oculos tuos ab afflictione mea, & ab hac calamitate miseratus eripe, neque me

sinas

sinas ab inimicis meis proteri atque contemni, quibus ex clade mea creuerunt animi, tumentiq; ore aduersum me locuti sunt, se se superbe efferentes meq; despicientes. ❴ Sordes eius in pedibus eius. ❵ Persistit in figura menstruatae mulieris, cuius immunditia in pedibus appareat, etiam si reliquum corpus decere videatur. Hebraei vero pro pedibus fimbrias legunt, ❴ Sordes eius in fimbrijs eius. ❵ Porro fimbrias in quibus pollutio mulierum appareat, saepe in scriptura legimus, vt in Ieremia capite 13. ❴ Reuelata sunt verecundiora tua, pollutae sunt plantae tuae. ❵ & paulo post, ❴ Ego nudaui femora tua contra faciem tuam. ❵ nam quae in Ieremia dicta sunt verecundiora, & femora, in Hebraeo dictae sunt fimbriae. Ex quo apparet Deum ipsum detexisse sordes eius in pedibus seu fimbrijs eius, vt illius flagitia per vindictam traduceret atque vulgaret. Vt etiam de Niniue dicit propheta Naum, ❴ Ecce ego ad te dicit Dominus exercituum, & reuelabo pudenda tua in facie tua, & ostendam gentibus nuditatem tuã, & regnis ignominiam tuam. ❵ ❴ Nec est recordata finis sui. ❵ Ita fere dum peccamus, noster animus quasi fascino quodam excaecatur, vt quid ex peccato sit euenturum, minime prospiciat: Nam si nouissimorum, vt ait Sapiens, memores essemus, nunquam vtique peccaremus. ❴ Vide Domine afflictionem meam, quoniã erectus est inimicus. ❵ Videre afflictionem tunc dicitur Dominus, cum ex afflictione, misericordia commotus eripit. Sic in Exodo cap. 3. ❴ Vidi afflictionem populi mei. ❵ & psalmo 30. ❴ Quoniam respexisti humilitatem meam, saluasti de necessitatibus animam meam. Erectus est inimicus, ❵ magnificatus est, magna de se locutus est; iactauit se; me contempsit iuxta illud psalmi, ❴ Super me magna locuti sunt. ❵

[Margin: Ierem. 13. — Naum 3. — Ecclef. 7. — Exod. 3. — Psal. 30. — Psal. 37.]

IOD. L X X.

Manum suam extendit tribulans ad omnia desiderabilia eius: Vidit enim gentes ingressas in Sanctuarium eius, quas praeceperas non intrare in Ecclesiam tuam.

ORIGENIS. Desiderabilia igitur Ierusalem intelligenda sunt quae in templo erant, & Sancta Sanctorum recondita, & ad sacerdotale ministerium apta: & siqua alia pro-

pterea quod in templo essent posita, diuina esse credebantur, vt candelabrum aureum, vt reliqua. Nam quia populo persuasum erat, ea in templo ad Dei gloriam esse reposita, rebus omnibus illa praeferebant, malebantq; ipsi omnia acerba ab hostibus perpeti, quam vt aliquid horum in potestatem hostium veniret. Sanctuarium vero mos erat ex circumcisione hominibus templum vocare. § Quas praeceperas non intrare *in* Deut. 23. Ecclesiam tuam. ? OLYMPIOD. Iusserat Deus ne Moabitae & Ammonitae in Ecclesiam Domini intrarent. Euersa itaque Ierusalem, etiam hi sunt in templum ingressi. Quod vero ad sensum spiritualem pertinet, impurae quaedam cogitationes, in animae adytum ingressae sunt. ORIGENIS. Rem vero nouam & insuetam Ierusalem passa est tempore captiuitatis: Vidit enim gentes, quae ne in Ecclesiam ingrederentur, praeceperat Deus, calcantes sanctificationẽ, quo ne Israelitis quidem ingredi fas erat, cum solis sacerdotibus, piaculis haud vulgaribus expiatis in eum locum intrare permissum esset: hostes vero in ipsa quoque inaccessa loca peruenerunt, ingressi quo vix summus ipse sacerdos multis cum piacularibus sacris semel in anno introibat. ET POST PAVCA. Si autem Ierusalem vt prius exposuimus, talis quaedam anima sit, intelligendum est bona ipsius secũdum naturam, quae sunt eius ornamenta, quibus Deum colebat, in eiusmodi penetralibus condita, quae omnibus, praeterquam verbo illi summoque sacerdoti sunt inaccessa, eius desiderabilia vocari. Ad haec omnia, ille in lucta victor hostis, animam diuino auxilio merito destitutam, non iam praeclare sub illius imperio militantem, cum elisisset, atque per vim illam suam efficacem, qua ad vitia pertrahere solet, occidisset, Dei desertricem ex principe loco deturbauit, & ornamẽtis spoliatam dereliquit. Gentes etiam pro loci ratione figurate intelligere oportet illam vitiorum turbam, quae illum praecipuum locum ingrediuntur, ad hoc extructum, vt esset Dei capax, & vera sanctificatio, qui in pura mente requiescere cupit: quas gentes prohibet Deus, ne vllo modo Ecclesiam ingrediantur. Quid enim magis proprie a Deo prohiberi putemus, ne ingrediatur in animam, quae in Ecclesia Dei numeratur, quam opera & sapientiam sensumq; carnis.

carnis, quae vere gentes sunt Deo inimicae? { Caro namque militat aduersus spiritum, } cum { Sapientia carnis inimica sit Dei: legi enim Dei non subijcitur, neque enim potest. } Rom. 8.

IOD. VVLGATA.

Manum suam misit hostis ad omnia desiderabilia eius: quia vidit gentes ingressas Sanctuarium suum, de quibus praeceperas, ne intrarent in Ecclesiam tuam.

ILLVD vero quam execrabile spectaculum fuit cum auiditate rapacissima misit hostis Ammonites & Moabites manum suam ad sacra pretiosaq; vasa diripienda? Nam illud etiā inter ceteras eius aerumnas haec ciuitas perpessa est, vt cum quibus affinitate, & iuris & legum ac ciuitatis communione iungi, & quibus in Ecclesiam tuam ingredi tua lege interdicente non licebat, eas gentes videret in sanctuarium suū ingressas; & a quibus ob saeuitiam & morum inhumanitatē, ne vulgaria quidem & omnibus exposita beneficia impetrare potuit, panem & aquam, eos in adyta sacra penetrare conspiceret, & pretiosa ac desiderabilia rapere, quae ne contingi quidem nisi a Deo dicatis hominibus fas erat.

{ Manum suam misit hostis. } Manum mittere vel ad occidendum accipi potest, vel ad rapiendum. ac si ad occidendum accipiamus, desiderabilia intelligendi sunt viri speciosi aut decorae mulieres, vt est in capite 2. { Occidit omne quod pulchrum erat visu in tabernaculo filiae Sion: } quem sensum sequitur Chaldaicae interpretationis auctor. Sin manum mittere sit rapere, desiderabilia erunt pretiosae res, vt gemmae, aurea vasa, lauta supellex, vt consequenti versu certe accipiuntur, { dederunt pretiosa quaeque pro cibo. } Nam idem Hebraeum verbum est ibi redditum pretiosa, hic vero desiderabilia: & hic sensus conuenire magis cum consequentibus verbis videtur, { quia vidit gentes ingressas in Sanctuarium suū. } In templo enim intelligendum est illa desiderabilia fuisse ad quae hostis extendit manus: quae expositio B. Gregorio Nazanzeno placuit, qui in Pacificatoria oratione prima dixit, πόδες βέβηλοι καὶ χεῖρες οἱ μὲν τοῖς ἀβάτοις ἐμβατεύοντες. αἱ δὲ καὶ τῶν ἀψαύστων καταξυφῶσαι, profani pedes in sacris adytis inam-

bulantes;profanae manus ea quae tangere nefas erat contrectantes. ⸗ Hostis. ⸗ Hostem nonnulli intelligunt Ammonitas & Moabitas, ex eo quia subiungitur, ⸗ Quia vidit gentes ingressas Sanctuarium suum, de quibus praeceperas, ne intrarent in Ecclesiam tuam. ⸗ Hae vero gentes quibus Ecclesiae ingressu interdictum erat, Ammonitae erant & Moabitae.

Deut.23. Nam de ijs praecepit Dominus Deuteron. 23. ⸗ Ammonites & Moabites etiam post decimam generationem non intrabunt in Ecclesiam Domini in aeternum; quia noluerunt vobis occurrere cum pane & aqua in via quando egressi estis de Aegypto. ⸗ Quamuis possit non in congrue hostis Chaldaeus intelligi: & quod sequitur vidit gentes ingressas, de Moabitis & Ammonitis nihilominus accipi: vt verbum illud ⸗ quia, ⸗ sit amplificantis, quid mirum si hostis Chaldaeus misit manum ad desiderabilia, quando etiam Ammonitae & Moabitae, de quibus praeceperas, ne intrarent in Ecclesiam tuam, ingressi sunt in Sanctuarium suum? aut illud ⸗ Quia ⸗ concursum actionis notat, eo tempore hostis misit manum, quo profanas gentes ingressas vidit in Sanctuarium suum. ⸗ Ne intrarent in Ecclesiam tuam. ⸗ Intrare in Ecclesiam Hebraei esse putant affinitate iungi, prohiberique illo Dei praecepto quod paulo ante citauimus, ne Ammonitis aut Moabitis nubant Israelitides feminae & contra; ne Israelitis viris illarum gentium feminae iungantur. Nonnulli latius id patere volunt, vt non solum coniunctionem connubiorum, sed etiam communionem legum, ciuitatis, commerciorum significet. De connubijs certe 3. Regum 11. dici manifestum est: ⸗ Rex Salomon amauit mulieres alienigenas multas, filiam quoque Pharaonis & Moabitidas & Ammonitidas, Idumaeas & Sidonias & Hetthaeas, de gentibus super quibus dixit Dominus filijs Israel, non ingrediemini ad eas, ⸗ nempe gentes, vt in Hebraeo apparet, ⸗ neque de illis ingredientur ad vestras, ⸗ in Hebraeo, ad vos, hoc est in Ecclesiam vestram.

CAPH.

CAPH. L X X.

Omnis populus eius gementes, quaerentes panem: dederunt desiderabilia eius in cibo ad reuocandam animam. Vide Domine & considera, quoniam facta est vilis.

ORIGENIS. Gemebant vrgente fame, & pro exiguo cibo qui deficientem animam reuocaret, res pretiosissimas tradebant. Sed quonam modo desiderabilia, quae iam ab hostibus ablata esse praedictum est, tradebant pro cibo coemendo? Ergo extendit quidem inimicus manum ad omnia: Sed capiendo quae vellet cum expletus esset, residua dereliquit, quibus illi cibos emebant. EIVSDEM. Vide autem ne diuersa sint desiderabilia, ac praecipue quidem ea quae iam declarata sunt, in quae manum extendit inimicus. Secundo vero loco quae cuiusque de populo erant propria. Et illa quidem communia inimicus accepit, suis vero quisq; cibos emebat. Secundum anagogen vero, Sicut Esau vendidit primogenita pro rufo cibo, vnde & cognomen accepit; Edom namque rufa terra est, fuit enim vir ille terrenus, cum primogenita cōtempserit; ac terrena praecipua putarit; quae Iacob tamquā necessaria secundo loco expetijt, propterea quod erat in corpore; sic Israel quoque. Sed ille ipsi Iacob qui dignus erat, desiderabilia quae habebat concessit, quae tamen Iacob non inter praecipua numerabat: populus vero Israel dedit etiam ipse pro cibo, sed quem non sanctus vir, sed Babylonij praeparauerant, qui datis desiderabilibus contumeliose vsuri erant. Nam Iacob ab Esau accepta honestare ornareque nouit: at Babylonij datis non ad suum bonum vtuntur. Sic etiam anima propter necessariarum rerum inopiam, diuinas disciplinas proijcit ijs qui curiositate ducti vt calumnientur & rideant discere cupiunt. § Dederunt desiderabilia eius in cibo. § OLYMPIOD. Cibum inquit, vel sensibilem, propter obsidionem, vel altricem animae orationem. IDEM. In obsidione quicquid eximij habebant, tradebant pro coemendis cibis, vt saltem vitam ducerent, & deficientem animam alerent. Aut etiam sic, cum desiderabilem Dei notitiam prodidissent, audire aliquid a pseudoprophetis cupiebant, quo deficientem animam recrearent. § Vide Domine & considera

quoniam

Gen. 25.

quoniam facta sum vilis. } ORIGENIS. Orantis pro Ierusalem verba sunt, vide Domine meam ignominiam, quae mea propter famem amiserim ornamenta.

CAPH: VVLGATA.

Omnis populus eius gemens & quaerens panem: dederunt pretiosa quaeque pro cibo ad refocillandam animam. Vide Domine & considera, quoniam facta sum vilis.

FAMIS vero malum quam graue fuit? Non enim pauci homines, sed omnis populus eius eo malo vexabatur: neque eiusmodi fames erat, quae ferri posset, sed omnis populus gemebat: neque delicias & ea sine quibus vita duci posset, ad explendam voluptatem cupiebat; sed quaerebat panem: neque is quamuis magna tamen tolerabili mercede, sed pretiosissimis rebus datis vix comparabatur: neque abundanter, sed qui vix ad refocillandam animam & reficiendum quasi extremum spiritum satis esset, ita vt magis ad mortem attendam, quam ad vitam producendam pararetur. Vide Domine & considera, dato tam magno pro vili re pretio, quam vilis ipsa facta sim, & eiusmodi vt ab omnibus contemnar.

LAMED. LXX.

O vos omnes qui transitis per viam, conuertite vos, & videte, si est dolor sicut dolor meus qui factus est. Loquutus in me, humiliauit me Dominus in die irae furoris sui.

THEODORITI. Nihil prohibet haec dicere Ierusalem, cum pauci e pauperibus terrae illam incolerent. Illa etiam quae sequuntur, } loquutus in me. } Nam cum iussisset solum, illico mihi mala sunt illata. OLYMPIODORI. Quum comminatus est comminatione vera: praeterea cum dixit Synagogae, } Ecce relinquitur vobis domus vestra deserta. } Matth. 23.

LAMED. VVLGATA.

O vos omnes qui transitus per viam, attendite & videte, si est dolor, sicut dolor meus: quoniam vindemiauit me, vt locutus est Dominus in die irae furoris sui.

O qui alio festinatis & ad vestra negotia curanda tenditis, vos compello, vt saltem properantes & in itinere

subsista-

ſubſiſtatis tantiſper, dum meum dolorem meamque plagam videatis: nam tanta eſt, vt etiam per tranſitum conſpecta vos commouere poſſit: Attendite, oculos ad me conuertentes, & videte, animo conſiderantes, & hanc ſaltē exiguam mihi conſolationē afferte, vt dicatis mihi, ſi eſt dolor ſicut dolor meus. Quoniam hoſti meo nō ſatis fuit vrbem cepiſſe, & ciues meos caecidiſſe, ſed eos qui iram victoris effugerāt, tamquā auarus vindemiator latentes racemos denuo decerpſit & caecidit: quamuis id nō ſine diuino iuſſu atq; decreto perfectū ſit, quo die Deo placuit meas culpas plectere, & ira furoris ſui tāquā igneo halitu effuſo meorū peccatorum ſtipulas comburere.

§ O vos omnes. § In Graeco eſt, οἱ πρὸς ὑμᾶς, puto autem LXX. tranſtuliſſe εἰ πρὸς ὑμᾶς, numquam enim לא οἱ articulo vertere ſolent, ne verti quidem hoc modo poteſt: ſolent autem vertere εἰ; quod ſic forte intelligi poſſit, vtinam ad vos qui pertranſitis dolor meus aut petitio mea perueniat. Chaldaeus reddidit, adiuro vos qui pertranſitis adeſte, vos compello, oro vos omnes qui pertranſitis. § Quoniam vindemiauit me. § Hebraeum verbum ſignificat reuindemiare, praetermiſſos racemos rurſus decerpere: quod auari vindemiatoris eſt, & a Deo in Deuteronomio illi Iudaeorum populo interdictum eo conſilio, vt pauperes relictos racemos oleasq; colligerent. Solet autem per metaphoram hoc verbum ad caedem hominum qui cladi alicui ſuperfuerint ſignificandam transferri, vt aperte eſt apud Ieremiam capite 6. § Vſque ad racemum inquit colligent, quaſi in vinea, reliquias Iſrael: Conuerte manum tuam quaſi vindemiator ad cartallum. § Intelligit autem vindemiam ſeu racemationem, ſaepius iteratam illam Iudaeorū tranſmigrationem, cum Nabuzardan princeps militiae Chaldaeorum, nunc hos nunc illos qui remanſerant in Iudaea, captiuos abduceret, vt legimus in extremo capite Ieremiae. § In die irae furoris ſui. § Sic dicta eſt ira furoris, tamquam ſi ſpiraret naribus igneum vaporem, qui quaecunque comprehendiſſet adureret: nam eodem modo dictum eſt in cantico Moyſi, § Miſiſti iram tuam quae deuorauit eos ſicut ſtipulam: § Sic namque de ira Dei, tamquam de flammeo halitu loquitur, ſiccam materiam adurente. Ierem. 6.

MEM.

MEM. L X X.

De excelso suo misit ignem, in ossibus meis deiecit illum: expandit rete pedibus meis: conuertit me retrorsum: dedit me desolatam, tota die dolore confectam.

ORIGENIS. Illud post captam ciuitatem incendium significauit, quo aedificia firmissima concremauerunt: aut eorum captiuitatem ciuiũ, qui in ea vrbe tum animo tum externis rebus praestantiores erant, tamquam calamitatum incendio combustorum. Significat etiam inferioris conditionis hominum comprehensionem, cum velut aucupio retibus capti & in seruitutem abacti sunt, qui libertate minus recte
Philip. 3. vsi fuerant. Hi namque non in anteriora extenti posteriorum obliuiscebantur, sed conuertebantur a gloria in ignominiam, a libertate in seruitutem; & facti sunt pro gloriosis obscuri & ignobiles ex ignominia & contumelia, per quae in iugem afflictionem illa ciuitas decidit. § De excelso misit ignem, in ossibus meis deiecit illum. § OLYMPIOD. Peruenit enim ad compages & medullas, & cogitationes & intentiones. § Expandit rete pedibus meis. § OLYMPIOD. Supplicium ineuitabile. § Conuertit me retrorsum. § IDEM. E prosperis rebus ad aduersas. § Dedit me desolatam. § IDEM. Idest ostendit me desolatam. § Tota die dolore confectam. § IDEM. Iugiter supplicio affectam.

MEM. V V L G A T A.

De excelso misit ignem in ossibus meis, & erudiuit me: expandit rete pedibus meis, conuertit me retrorsum: posuit me desolatam, tota die maerore confectam.

TAM ardentes tamque frequentes faces coniecit in me hostis, vt videretur Deus de excelso iaculatus ignem, & flammas in turres munitionesque meas effudisse, quibus tamquam ossibus nitebar & firma eram: & erudiuit me & tamquã virga caecidit, arietibus quassans muros atque decutiens. Neque vero ab igne ac verberibus fugere & haec mala vitare ali quo consilio potui, & Dei decretis obsistere, non tenebris me occultare, non fuga me a calamitatibus eripere: nam expandit rete

dit rete

dit rete pedibus meis, vt quocunque me verterem, laqueo capi necesse esset: nec solum expandit, sed etiam captam & pedibus irretitam conuertit, & retrorsum cadere coegit. Posuit me desolatam, infrequentem, desertam: praeterea adeo exterritam & metu perculsam, vt quodammodo stupore quodam attonita sim, & vultu in diuersum commutato non agnoscar: In corde vero tamquam intimo vulnere accepto, assiduo maerore conficiar.

§ In ossibus meis. § Figurate ossium nomine turres & muros & arcem intelligit. Nam fere eodem modo dixit prophetiae suae capite 49. § Succendam inquit ignem in muro Damasci, & deuorabit moenia Benadad. § Quomodo autem id factum sit, legimus eiusdem prophetiae capite 52. Nabuzardan videlicet incendisse domum Domini & domum regis, & omnes domos Ierusalem, & omnem domum magnam igne combussisse. § Conuertit me retrorsum. § Aut quasi laqueo captã cadere fecit retrorsum, aut vires ademit ne obsistere hostibus possem, sed retro cadens terga verterem: quem sensum auctor interpretationis Chaldaicae probauit.

Ierem. 49.

Ierem. 52.

NVN. L X X.

Vigilauit super impietates meas: in manibus meis complicatae sunt, ascenderunt super collum meum. Infirmata est virtus mea, quia dedit Dominus in manibus meis dolores. non potero stare.

ORIGENIS. Ipsa inquit Prouidentia in meis impietatibus non dormiuit. Deus enim tamquam si illas in manus per examinationem inquisitionemque cepisset, cum retributione opere ipso perfecta implicauit ac nexuit, & mihi tãquam in collo iugum iniectum factae sunt, & seruitutem imposuerunt. Nam illa seruitus quam Nabuchodonosor seruiui, meae sunt impietates: ideoque infirma facta sum, his tradita, quorum seruitutem ferre non possum. ET PAVLO POST. Iugum eius super collum meum. his autem verbis indicatur, figurate esse accipienda, quaecunq; tamquam de nostris perturbationibus sic de Deo dicuntur: qua enim ratione alioqui intelligantur Ierusalẽ impietates Dei manui complicatae, nisi figu-

si figurate? Neque enim quisquam haec etiam corporaliter intelligenda dixerit. Qui autem non sit absurdum, collum quidem Ierusalem, quia ciuitas sit figurate accipi, quae vero tamquam Dei membra dicuntur, ea non eodem modo intelligi? Dicantur autem verba haec ad praesens tamquam ab anima quae in impietatibus obdormiuit, in eo quod salutare iugum sani verbi repulit, quod suaue Saluator appellat; & impietatum iugum subijt, per quas infirmata est, a diuino respectu dimissa, & peccato vitiorum regi tradita; Cuius voluntati propter vitiositatis infinitam interminatamque vim, omni ex parte obsequi, eique satietatem praebere non potest. Deprimit autem reuera peccatum & angit, & deorsum spectare cogit. Iugum quoque ipsa conscientia est obstringens ac vulnerans, & suspicere non permittens, & omnem libertatem auferens. Dissoluit etiam, inquit, vires meas, quibus non bene vsa sum; & eneruor, videns mala quae me vndique arctant. § Vigilauit super impietates meas. § OLYMPIOD. Nullum inquit meorum peccatorum silentio praeteritum est. § In manibus meis complicatae sunt. § OLYMPIOD. Quae per opera seminaui, haec & messui. § Ascenderunt super collum meum. § OLYMP. Quia vnusquisq; suum onus portabit. § Infirmata est virtus mea. § OLYMP. Non potui repugnare aduersarijs. Vel sic, Virtus Synagogae lex, quae non potuit illã defendere. § Quia dedit Dominus in manibus meis dolores. § OLYMPIOD. Hoc est, ostendit mihi digna doloribus opera perfecisse. § Non potero stare. § OLYMPIOD. Commota est statio mea, hoc est firmitas mea.

Match. 11.

NVN. VVLGATA.

Vigilauit iugum iniquitatum mearum in manu eius: Conuolutae sunt & impositae collo meo: Infirmata est virtus mea: dedit me Dominus in manum de qua non potero surgere.

INIQVITATVM mearum iugum ac seruitutis necessitatẽ, quae mihi ob meas culpas imposita est, vigilãter & attente in manu tenuit: neq; vnquam illud iugum de manibus deposuit, vt mihi illud suo tempore in collum inijceret, & iam impositum vigilãter & assidue in manibus suis tenuit, & cum

mea

mea vexatione traxit. Eaeque iniquitates conuolutae sunt & tamquam funis implexae & innexae, vt iugum firmiter tamquam nodis quibusdam insolubilibus adstringerent: & sic impositae tamquam grauissimum onus collo meo; de meis namque iniquitatibus connexum est iugum, quo onera seruitutis & aerumnarum pondera imposita ferrem. Quo iugo grauissimo atque durissimo infirmata est virtus mea, ita vt cum illud sustinere non valerem, sub onere corruerim. Et vt clarius apertiusque dicam, dedit me Dominus in manu ac ditione hostis adeo fortis atq; grauis, vt surgere & de ea me liberare & exoluere non valeam, sed semper ei necesse sit subiectū esse & iacere, cū ad libertatē capessendā meis viribus erigi non possim. § Vigilauit iugum iniquitatum mearum. § LXX. transtulerunt paulo aliter, § Vigilatum est super iniquitatibus meis. § Nam quod B. Hieronymus iugum, illi, super, verterunt, cum eaedē Hebraicae litterae aliter atq; aliter pronuntiari possint. Sensus autem iuxta LXX. translationem hic erit, sollicite, prouide & attente meae iniquitates inspectae sunt vt punirentur. Ex Hebraeis aliqui ita hunc locum explicant: Notatae sunt iniquitates meae in manu eius, & quasi punctis quibusdam numerus earum signatus: non earum illum obliuio capiet; optime nouit quo numero sint, quidve illis retribuendum; & qua poena plectendae sint, iuxta illud Iob 14. § Signasti quasi in sacculo delicta mea. § Quidam interpres, vt est apud Theodoritum, transtulit, aggrauauit iugum. quomodo vertit auctor Chaldaicae translationis: hi videntur legisse in Hebraeo נקשה durum & graue factum est mearum iniquitatum iugum, vt Esaias ait cap. 24. § Grauabit eum iniquitas sua & corruet, & non adijciet vt resurgat. § Postremo nonnulli legunt נקשר colligatum est & implexum iugum iniquitatum mearum in manu eius, tamquam iniquitatibus nostris veluti nodis quibusdā nectatur & implicetur iugum poenae nobis imponendum. Et huic sensui fauet quod sequitur, § Conuolutae sunt & impositae collo meo. § Plures interpretationes recensui, sed illam omnibus praeferendam puto, quae cum vulgatae editionis versione congruit. § Infirmata est virtus mea. § Sub tam graui onere me vires defecerunt, & collapsa sum, ita vt vires ad

Iob 14.

Psal. 35. surgendum non habeam, iuxta illud, Expulsi sunt nec potuerunt stare.

SAMECH. L X X.

Abstulit omnes fortes meos Dominus ex medio mei: Vocauit super me tempus conterendi electos meos: Torcular calcauit Dominus Virgini filiae Iuda.

Orig videtur legisse, in medio mei.

ORIGENIS. Non ex medio mei abstulit illos. nam & si illis priuata essem, at certe in alijs rebus abuti licuisset: sed in medio mei vt affligerentur decreuit, propter mea impia facta: & mala passi sunt electi mei acerbissima, ipso Domino in torculari vinum furoris sui calcante, quo ad satietatem vsque & ego potarer & virgo regij generis Iuda. Dicit autem vt puto fortes viros potentes in bello, & patriae propugnatores: electos vero nobiles aut sapiētes. Declarat autem quid sit, Torcular calcauit, illud quod de peccatorum supplicio dictum est in psalmis, Calix in manu Domini vini meri plenus misto. qui inclinatur ex hoc quodam punito in hunc puniendum, quousque bibant omnes peccatores terrae, fece residua ijs qui grauius quam illi peccauerunt, relicta, in quibus postremo fex illa exinanienda est. Abstulit omnes fortes meos Dominus. OLYMPIODORI. Ad litterā quidem, principes & legis doctores; ad sublimiorem vero sensum voluntarij propositi mores, quos destruit obsistens ac praeualens peccatum. Vocauit super me tempus. OLYMPIOD. Tempus tenebrarum inquit, nam deficiente intelligibili lumine, tenebrae vicissim subeunt. Conterendi omnes electos meos. EIVSDEM. Vt destruerentur omnes mei boni mores. Torcular calcauit Dominus Virgini filiae Iuda. EIVSDEM. Hoc est omnia peccata mea simul collegit, quibus calcatis fecit vinum, de quo dicit psalmus, Calix in manu Domini vini meri, idest irae: examinata namque peccata & quodammodo expressa, diuinam distillant iram, qua potantur peccantes. ORIGENIS. Haud difficile est videre, quomodo torcular calcarit Dominus Virgini filiae Iuda: si enim quae seminat quisque, haec & metet, fortasse etiam quae excolit, haec & vindemiat. Quisquis igitur bonum vinum fecerit, de suis fructibus

Psal. 74.

Psal. 74.

Galat. 6.

bus

bus laetabitur? Sed qui vineam Sodomorum excoluerit, & palmitem Gomorrhae,& protulerit vuam fellis & botrũ amaritudinis,& venenum aspidum insanabile, cum omnia a Domino in vnum torcular collecta fuerint, factis eius improbis calcatis & expressis, consequẽter pro talium qualitate fructuum bibet vt bilem euomat & amaritudinem & iram: & iuxta Ieremiam quidem bibet vt euomat, iuxta Esaiam vero, vt excitetur, & cognatam induat gloriam. Neque enim frustra torcular calcat Dominus & praecipue Virgini filiae Iuda. Deut.32. Ierem. 25. Esa.51.

SAMECH. VVLGATA.

Abstulit omnes magnificos meos Dominus de medio mei:
Vocauit aduersum me tempus, vt contereret electos meos:
Torcular calcauit Dominus Virgini filiae Iuda.

PRINCIPES ac fortes viros tamquam lapides de via qui pedem calcantis possent offendere, de medio mei abstulit Dominus,& abiecit, vt reliqui facilius proculcari & proteri possent: Vocauit & iussu suo fecit vt adesset tempus condictusque dies quodammodo solennis ac festus, quo conuenirent hostes non ad adorandum sed ad conterendos electos ac iuuenes fortes meos:& in ciuitate Iuda, quae delicijs abundabat,& omnibus ornamentis tamquam virgo instructa erat, caedem maximam fieri permisit, eamque cruore occisorum exundare passus est, non secus atque in torculari calcatis vuis vinum exuberat.

§ Abstulit omnes magnificos meos Dominus. § Hebraei, conculcauit, protriuit omnes fortes meos. LXX. qui transtulerũt ἐξῆρε & B. Hieronymus qui LXX. secutus vertit, § abstulit, § ex viarum similitudine metaphoram intellexerũt. Nam vt e vijs, nequid sit quod ingredientes offendat, lapides eligunt,& abijciunt, vt calcari via sine laesione aliqua pedum possit, ad eundem modum omnes magnificos & fortes viros abstulit & abiecit a me Dominus, qui vt auferrentur permisit, vt reliqui inferiores & ignobiliores, nullo qui emineret relicto, facilius cõculcari possent. Simili figura in sua prophetia dixit Ieremias cap.50. § Aperite vt exeant qui conculcant eam, § nempe Babylonem: § Tollite de via lapides, & redigite in aceruos. § Ierem. 50.

Non

Non dissimili exemplo atque tyranni solent principes viros & nobiliores de populo tollere, vt ijs sublatis, facile vilis plebecula proteratur. Quod consilium a Thrasybulo datum Periandro legimus. Indicat autem id quod fecit Nabuchodono
Ierem. 52. sor, qui § omnes principes Iuda occidit in Reblatha: § quibus occisis. § De pauperibus terrae reliquit Nabuzardan princeps militiae in vinitores & agricolas. § § Vocauit aduersum me tempus. § מועד tempus. alij significare putant exercitum quasi vt ad certam diem adesset conuocatum: Vt dixit Deus
Ierem. 1. per Ieremiam cap. 1. § Ecce ego conuocabo omnes nationes regnorum Aquilonis ait Dominus. § Indixit ad certum constitutumque tempus, vt adessent hostes. Sed optime tempus, transtulerunt & LXX. & B. Hieronymus, vt sit certum ac statutum, qui graece καιρὸς dicitur. indixit ad certum constitutumq; tempus vt adesset hostis; aut ad solenne festumque, vt cap. 2. dicit, § Vocasti quasi ad diem solennem qui terrerent me de circuitu. § § Virgini filiae Iuda. § Filia Iuda ciuitas & coetus ipse vocatur ciuium. Virgo autem quasi delicata & ornata vestium pompa & muliebri ornatu gaudens, quo indicatur ciuium Ierosolymitarum luxus & magnificentia, qui tamquam in regia praecipuaque ciuitate splendide, lauteque viuebant.

AIN. L X X.

Super his ego ploro; oculus meus deduxit aquam, quia longe factus est a me reducens animam meam. Facti sunt filij mei perditi, quoniam inualuit inimicus.

ORIGENIS. Causam esse gemituum dixit, quod praestolaretur illum reuocantem animā ipsius, vel recreantem iuxta Symmachum. perditos etiam dicit filios, quia ex eorum peccatis potentior factus est inimicus. Nam pie nobis viuentibus vires amittit: debilitatur enim proficientibus nobis, & mortificatur quum perficimur, & sub pedibus conteritur, comminutus sicut puluis ante faciem venti, & sicut lutum
Psal. 17. platearum commolitus. Nam pro ratione peccatorum nostrorum, & alitur & vires accipit: quod si delinquere cessauerimus, tamquam fame interit. Contraque diuinas virtutes &

cum

cum benefacimus in nobis ipsis confirmamus, & cum peccamus expellimus. Itaque Symmachus pro eo quod legimus, { perditi, } transtulit, { desolati. } Dixerit autem haec vt puto anima contemplatrix Verbi veritatis, quae per socordiam idem hoc verbum laetificans, ac simul omnes fructus qui filij sui appellantur, perdiderit: propterea quod vitiositas illius inimica vires acceperit. { Reducens animam meam. } OLYMPIOD. Ad litteram, quia ad hunc vsque diem Iudaei afflictantur: Ad sublimiorem vero sensum intelligitur modus ille Dei memoriae, qui animam de morte ad vitam reuocat. { Facti sunt filij mei perditi, quoniam inualuit inimicus. } diuersa factorum genera, inimico nostro diabolo inualescente.

AIN. VVLGATA.

Idcirco ego plorans, & oculus meus deducens aquas, quia longe factus est a me consolator conuertens animam meã. Facti sunt filij mei perditi, quoniam inualuit inimicus.

HAEC causa est mei grauissimi doloris, cuius magnitudinem non gemitu modo ac questibus, sed etiam assiduis lacrymis ostendo, adeo vt oculi mei fontibus similes sint iugiter fluentibus; quia cum grauissimo cordis vulnere laborem, longe factus est a me consolator, neque vllus est, qui vnguento verborum dolorem leniat ac mitiget; nullus est consolator qui animum maerore saucium, & quodammodo abeuntem ac deficientem consolatione reuocet ac recreet. An vero matri luctuosius quicquam accidere potuit, quã quod filij mei perditi & exanimati sunt, timore maeroreque defixi, inopiaque consilij stupẽt & attoniti sunt, propterea quod inimicus meus inualuit ac superior fuit?

{ Idcirco ego plorans. } Inducit in his verbis Ierusalem perinde ac matrem super filiorum interitu dolentem. { Et oculus meus deducẽs aquas. } Repetitio est in Hebraeo oculus meus, oculus deducens aquas. & quia in ea lingua ambiguũ est oculi nomẽ, nam & corporis membrum, & fontem significat, quae ambiguitas in voce graeca ὀφθαλμὸς similiter inest, prius significationem corporei membri habet, sequens fontis, vt sit oculus meus, fons deducens aquas. { Conuertens animam meam. }

meam. ʃ Sic ſolet ſcriptura loqui, quum reficere animum, recreare ac refocillare ſignificat, quaſi anxietate ac maerore effuſa & exiens anima conſolatione adhibita reuocetur ac redeat. ʃ Facti ſunt filij mei perditi, ʃ ἠφανισμένοι dixerunt LXX. quodammodo attoniti & ſtupore vel dolore vel miraculo vel timore rigentes, quid agant, quo ſe vertant neſcientes.

PHE. L X X.

Expandit Sion manum ſuam: non eſt qui conſoletur eam. Mandauit Dominus ipſi Iacob: in circuitu eius tribulantes eum: facta eſt Ieruſalem quaſi polluta menſtruis in medio eorum.

ORIGENIS. Sion dicit montem, populum vero Iacob, metropolim Ieruſalem. mandauit autem Dominus ipſi Iacob mandata, quae cum tranſgreſſus eſſet, ab inimicis obſeſſus eſt, atque circundatus. iuxta Symmachum vero & aliam editionem LXX. mandauit Dominus vt circundarent eum tribulantes eum: nimirum poteſtatibus quae in malum ordinatae ſunt. ʃ Non eſt qui conſoletur eam. ʃ OLYMPIOD. Non lex, non Propheta. ʃ Mandauit Dominus ipſi Iacob. ʃ OLYMPIOD. Denuntiauit Dominus inquit, vt vigilares, quia in circuitu ſunt tribulantes te: ille vero ad ignauiam diuertit. Aut etiam ſic. Mandatum Domini inquit, ʃ Ecce poſui ante faciē veſtram vitam & mortem. ʃ Ergo quia Iacob vitae praetulit mortem, ideo facti ſunt in circuitu eius tribulantes eum. ʃ Facta eſt Ieruſalem quaſi polluta menſtruis in medio eorum. ʃ (Deut. 30.)

ORIGENIS. Ipſius Ieruſalem ex peccato contractam impuritatem ſimilitudine menſtruatae declarauit. In medio autem dicit, vel ipſius Sion, vel ipſius Iacob, nam totius mōtis media in parte extructa eſt; totius vero populi, id namque hoc loco ſignificat Iacob, duodecim tribus. Duobus vero modis iuxta litteram accipere licet tam Sion quam Ieruſalem, aut loca ipſa, aut habitatores. Ac ſi locum ſignificet Sion, manus ipſius, opera & quicquid manu fieri poteſt appellat; eaſque dicit expanſas & non compreſſas, neque manibus conueniens opus facientes, vt in agro deſertaque regione. Quod ſi habitatores dicit, manus erunt agricolae & operarij, qui propter circum-

ſtantia

ſtantia pericula manus ad opera facieda non premant. Quod ſi manus Sion figurate accipiuntur, quanto magis membra quae in ſcriptura Deo tribuuntur? Et ipſe quoque mons fere ſimul cum gente gemit, neminem qui conſolaretur habens, non Deum, non ſanctum aliquem virum.

PHE. VVLGATA.

Expandit Sion manus ſuas, non eſt qui conſoletur eam: mandauit Dominus aduerſum Iacob, in circuitu eius hoſtes eius. Facta eſt Ieruſalem quaſi polluta mēſtruis inter eos.

QVOMODO mater ex morte filiorum intimo dolore torquetur, & prope exanimata deficientibus viribus expandit manus, ad eundem modum Vrbs Sion orbata ciuibus ſuis plangit ac dolet, nec qui dolorem eius leuet inuenitur. iuſſit etiam Dominus aduerſus Iſraelitas, vt qui in circuitu eius ſunt Ammonitae ac Moabitae, illos vt hoſtes obſiderent & arctarent atque propellerent; itaque ij ciuitatem Ieruſalem quae in medio eorum ſita erat, tamquam menſtruis laborantem mulierem expulerūt, & ex illorum medio, habitatione, atque conſortio, vt mulieres immūdae ſeparari ſeorſumq; ab alijs ſedere ſolent, abegerunt, & eiecerunt.

§Expandit Sion manus ſuas.§ Expanſio manuum, vt aliqui ex Hebraeis tradunt petentis ac rogantis habitum indicat, Expandit inquiunt Sion manus conſolatorem quaerens, & qui conſolaretur nullus fuit. Aut expandere manum, eius eſt qui opem & auxilium petit, quod fere idem eſt: Sed aliorum expoſitio praeſenti loco magis congruere videtur, dicentium, dolorem ſummum hoc habitu corporis indicari, quum exanimata fere mulier ſeu partus dolore, ſeu aliquo alio caſu diſſolutis viribus labitur, & manus expandit. ſicut in libro Iudicum de vxore Leuitae ſcriptum eſt, § iacebat ante oſtium ſparſis in limine manibus: § Ac locus huic praeſenti quam ſimillimus Iud. 19.
eſt in prophetia Ieremiae cap. 4. § Vocem enim quaſi parturientis audiui, anguſtias vt puerperae. Vox filiae Sion intermorientis, expandentiſque manus ſuas. Vae mihi quia defecit Ierem.4.
anima mea propter interfectos. § § Mandauit Dominus aduerſus Iacob, in circuitu eius hoſtes. § Vel vt hoſtes eius illum

G circum-

circumdent & obsideant: vel vt qui in circuitu eius sunt, nempe Moabitae & Ammonitae, & ceterae gentes inter quas habitat, sint hostes eius. priorem sensum Symmachus probauit, qui vertit, κύκλῳ γενέσθαι αὐτοῦ θλίβοντας αὐτὸν, vt obsiderent eum tribulantes eum: ne quisquam videlicet posset effugere. posteriorem Hebraeorum nonnulli doctores sequūtur, quem confirmare ex hoc eodem cap. versu 22. possumus, § Vocasti quasi ad diē solennem qui terrerēt me de circuitu, § hoc est, edixisti vt ad diē adessent gentes inimicae, quae terras mihi circumpositas incolunt; quales Ammonitae erāt & Moabitae, & Idumaei, populi Iudaeorum genti semper infensi.

TSADE. L X X.

Iustus est Dominus, quia os eius ad iracundiam prouocaui. Audite obsecro vniuersi populi, & videte dolorem meum. Virgines meae & iuuenes mei abierunt in captiuitatem.

Esaiae 1. ORIGENIS. Os Domini prophetas accipere oportet, ex quibus vnus Esaias dixit, § Os enim Domini loquutum
Matth. 23. est haec. § Ierusalem vero obiectum est a Saluatore quod prophetas occidisset, ex qua re etiam os Domini exacerbauit, laboribus illud acerbissimis tradens. Ille vero qui sanguinē prophetarum exquirit Deus, doloribus ex bellis, & rursus captiuitati iuuenes illius ac virgines tradidit. pro quibus igitur has calamitates passa sit, alijs confitetur: se ipsam illis exemplum praebens, vt cognita Dei iustitia in similia mala ne incidant. § Virgines meae & iuuenes mei abierunt in captiuitatem. § ORIGENIS. Post intellectum sensui expositum, Virgines eos intellige, qui in incorruptione viuunt. iuuenes qui in virtute probati sunt: frequenter enim etiam sancti viri noxijs compatiuntur.

TSADE. V V L G A T A.

Iustus est Dominus, quia os eius ad iracundiam prouocaui. Audite obsecro vniuersi populi, & videte dolorem meum. Virgines meae & iuuenes mei abierunt in captiuitatem.

IN poena meam agnosco culpam, non defendo, & in ea irrogāda iustum fuisse Deum iudicem fateor, quia prae-

ceptis

ceptis eius non parui, mandata neglexi. Itaque nihil est quod de Iudice conquerar, sed quod de meis cladibus tantummodo doleam. Sed vos vniuersi populi obsecro, vt non tam quod iuste patior, quam quantus sit meus dolor cogitetis, & mihi vestram commiserationem pro leuamine doloris impendatis. Audite inquam, & quod auditis re ipsa probate, vt non tam meis gemitibus ac fletibus, quam oculorum vestrorum testimonio credatis. audite questuum meorum voces, videte lacrymas quibus quantus meus dolor sit, aestimare possitis. Virgines meae & iuuenes, quos genui, quos alui, quos prouexi, abierunt in captiuitatem, ab iisque nullum fructum mihi capere licuit, sed abducti sunt, & victoribus belli iure sortito cesserunt.

§ Iustus est Dominus. § Inducit in his verbis Ierusalem suam culpam agnoscentem, Deique iustitiam in irrogando supplicio confitentem. Deinde eandem populos compellantem facit; habet enim hoc humanus animus, vt & gaudiorum suorum & doloris socios habere velit, leuari namq; aliquantisper videtur molestia qui afflictus est participatione maeroris, & non eousque se contemni putat vt etiam in dolore deseratur.

§ Abierunt in captiuitatem. § Videtur comminationem illam a Moyse factam commemorare, quae habetur Deut. 28. § Filios generabis & filias, & non frueris eis, quoniam ducentur in captiuitatem. § Deut. 28.

COPH. L X IX.

Vocaui amatores meos, ipsi autem deceperunt me. Sacerdotes mei & senes mei in Vrbe defecerunt, quia quaesierunt cibum sibi, vt refocillarent animas suas, & non inuenerunt.

ORIGENIS. Amatores quinam sint, declarauit Ezechiel dicēs ipsi Ierusalem, quam Oolibam vocat. § Haec dicit Dominus, ecce excito amatores tuos aduersum te vndique, filios Babylonis & omnes Chaldaeos. § Hi namque olim amici, diuina Prouidentia faciente ad inimicitias versi erāt: quod ipsum in amore contingit frequenter vt in odium conuertatur. dicit enim de Samaria, § Et fornicata est Oola a me, & in- Ezech. 23.

saniuit in amatores suos Assyrios. § & post pauca. § Ideo tradidit eam in manus amatorum eius, in manus filiorum Assyriorum; § dicit etiam de Ierusalem, § Et vidit soror eius Ooliba,& corrupit appositionem suam super fornicationem sororis suae;& in filios Assyriorum apposita est.§ §Sacerdotes mei, & seniores mei in Vrbe defecerunt &c. § OLYMPIOD. Haec in obsidione contigerunt.iuxta altiorem vero sensum, Doctores, verbi Dei praedicatores facti, qui salutis Populi haud fideles dispensatores erant,non inueuerunt discipulos quos docerent,qui sunt illorum cibus,cum populus simul cum doctorum impietate lapsus esset.

COPH. VVLGATA.

Vocaui amicos meos, & ipsi deceperunt me: Sacerdotes mei & senes mei in Vrbe consumpti sunt, quia quaesierunt cibum sibi, vt refocillarent animas suas.

VOCAVI amicos meos qui circa me habitabant, & mecum foedere iuncti erāt, ac se pro amicis dum res mea staret ostendebant, vt mihi in meis aduersis rebus consilium darent,& opem ferrent,aut certe consolarētur:ipsi vero amicitiae iura neglexerunt, neque foedera tantummodo violauerunt,verum etiam fraude sua mihi nocuerunt. Sacerdotes mei ac senes, quorum illi religione hi consilio atque prudentia populum vrbemque tuebantur,fame & inedia, quod mortis genus teterrimum est, sensim defecerunt atque consumpti sunt:cum fames tanta esset, vt quamuis cibum quaererent nō qui luxuriam exatiaret, sed qui ad deficientem animam ac paene egredientem,reuocandā recreandamq; satis esset, exiguas tamen vitae scintillas inuenire non potuerint.

Ierem 34. § Vocaui amicos meos.§ Aegyptios intelligit,qui ad opem illis ferendam a Iudaeis euocati, cum ex Aegypto exissent seu paenitentia ducti, seu timore ac metu Chaldaeorum territi, reuersi sunt in terram suam, amicis foederatisque in summo discrimine desertis. § Vt refocillarent animas suas.§ In Hebraeo est vt conuerterent animas suas; non tam verbum quā sensum expressit B. Hieronymus:quaesierunt cibum quo animam iam abeuntem & de corpore propter famis incommodum

dum attenuato, tamquam ex ruinoso domicilio egrediētem; ad illud iam aliquantisper refectum reuocarent.

RECHS. L X X.

Vide Domine quoniam tribulor: conturbatus est venter meus, & cor meum versum est in me: quoniam exacerbans exacerbata sum: foris orbauit me filijs gladius, sicut mors in domo.

ORIGENIS. In sua prophetia quidem dolet animam vt quae graues aerumnas perpessura esset: in hac vero lamentatione, cum illa iam contigissent angitur, & confitetur Dei acerbitatem ex peccato sibi acerbissimam esse redditam, adeo vt ex multorum liberorum parente liberis plane orbata sit: & quod grauissimum est hostili manu. Cum vero persona fingatur, non opus est quaerere qui nā sit vrbis venter pariēs, & cor dissolutum. § Conturbatus est venter meus & cor meū versum est in me. § OLYMP. Pro eo quod est omnia interiora mea. ceterum venter & cor iuxta tropologiae leges, distributiuae sunt & vitales animae vires, per quas eius sensus aluntur & exercentur, § Foris orbauit me filijs gladius, sicut mors in domo. § OLYMP. Iuxta historiam, eos qui ex obsidione exibant, occidebant Romani: Intus vero manentes fames interficiebat, vt Iosephus scripsit. Iuxta sublimiorem intelligentiam, inuisibilium hostium incursus inquit, extrinsecus, hoc est in nobis minime ingenitus, perdidit meas bonas cogitationes sicut interius nostrae voluntatis in peiorem partem propensio: id enim significat, § mors in Domo. § Ierem. 4.

RECHS. V V L G A T A.

Vide Domine quoniam tribulor, conturbatus est venter meus: subuersum est cor meū in memetipsa, quoniam amaritudine plena sum: Foris interficit gladius, & domi mors similis est.

QVONIAM nullam in amicis fidem inueni, ad te conuertor Domine, tuum auxilium opemque qui fidelis permanes flagito; Vide quam tribulor, & vndique malis obsidentibus & impellentibus premar, nullumque sit ex his malis effugium,

fugium,nisi mihi tu in tribulatione dilates;& aditum qua eua dere possim aperias. Venter meus & intima praecordia tamquam igni quodam doloris exaestuantia,intumuerũt,& quasi gemitibus ac singultibus concussa & conturbata ebulliunt in lacrymas.Cor meum torquetur, & cõstringitur prae maeroris magnitudine; neque enim locus est, quo possim euadere, cum vndique & vbique malis opprimar.foris hostium gladius interficit,nec domi quies vlla datur,metu impendentis cladis ac mortis animum terrente atque inquietante.

§ Vide Domine. § Videre Dominum idem est ac misereri. vt non videre,& oculos ac vultum auertere,iratum esse, non misereri. quod enim hoc loco Ieremias dixit. § Vide Domine
Psal. 30. quoniam tribulor, § hoc idem Dauid psal.30. dixit. § Miserere mei Domine, quoniam tribulor,conturbatus est in ira oculus meus,anima mea & venter meus. § § Conturbatus est venter meus. § talis conturbatio intelligenda est, qualis esse in aquis bullientibus aut aestu maris solet, quũ exundat aqua & ex imis sedibus concussa turbatur. transfertur autem ad dolorem & gemitum,quum anhelitu vitalia turbantur, & velut exundantes lacrymae defluunt. Vnde etiam capite 2. § defecerunt inquit prae lacrymis oculi mei,conturbata sunt viscera mea, § alij verbum Hebraeũm significare volunt etiam,constrictum esse angustatum,contractum. Sed illa prior interpretatio magis placet. § Subuersum est cor meum in memetipsa. § Subuersio tamquam torsionem cordis significare videtur, constringitur namque cor maerore, ac dolore quodammodo
Gen.43. torquetur,& commouetur ad luctum. Vnde de Ioseph Gen. 43.scriptum est,cum vidisset Beniamin, § commota sunt viscera eius super fratre suo. § Sed quia saepe reperitur versio cordis mutationem animi & sententiae ac paenitentiam signifi-
Exod.14. care, vt dicitur de Aegyptijs in Exodo 14. § Immutatum est cor Pharaonis & seruorum eius super populo, & dixerunt, Quid voluimus facere,vt dimitteremus Israel? § & psal.105. § Conuertit cor eorum,vt odirent populum eius, § ideo dici potest Ierusalem quae prius aduersus peccata ac scelera filiorum suorum zelo commouebatur,vbi vidit illos puniri,& peccatorum suorum merito plecti, emollitam quodammodo ab

illa

illa feueritate ac zelo mutaffe animum, & ad dolorem ac luctum cor eius effe conuerfum, cum caedem ac mortem filiorum quamuis malorum intueri fine dolore non fuftineret. § Foris interficit gladius, & domi mors fimilis eft. § Pro eo quod B. Hieronymus dixit, interficit, LXX. pofuerunt, ἠτέκνωσε, orbauit liberis. Mater enim Ierufalem loquitur, quae fe filijs orbatam dolet: id vero quod fequitur, § & domi mors fimilis eft, § nonnulli ad famem referunt, quae domi fic conficiebat, tamquam mors contagione peftis inuecta. alij mortem Angelum morti praepofitum, qui domi fedentes exterreat. Ego imminentis mortis terrorem vexantem & excruciantem animos non incommode poffe intelligi puto, vt dictum eft multo ante comminante has poenas perfido populo Moyfe, § Foris vaftabit eos gladius & intus pauor. § & pfal. 54. § Cor meum conturbatum eft in me, & formido mortis cecidit fuper me. § Deut. 32. Pfal. 54.

CHSEN. L X X.

Audite obfecro, quia ingemifco ego; non eft qui confoletur me: omnes inimici mei audierunt mala mea, & laetati funt quoniam tu feciftі: adduxifti diem, vocafti tempus, facti funt fimiles mei.

ORIGENIS. Sermonem ipfa Ierufalem partim ad hoftes dirigit, quos audire cupit, partim ad Deum. Quid autē ad illos? hortatur inimicos, vt audiant. quid vero ad Deum de illis? quod laetati funt. vide igitur ne in fuo & Ifrael delicto falus gentibus contigerit, vt illos aemulentur, & cum plenitudo gentium ingreffa fuerit, tunc omnis Ifrael faluabitur. ad eos autē qui de gentibus erant priore loco dicit prophetice: ad Deum vero pofterius. derelicta fum vt paterer, inquit, vt locū habeatis, & facta fum inimica Dei propter vos, quãuis fecundū electionē dilecta effem propter patres. Itaq; meis iam gemitibus auditis etiam illorum caufam agnofcite; nam veftrae falutis caufa prorfus derelicta fum, non habens eum qui me quum mala effem experta femper confolabatur: nūc enim defecit princeps de Iuda & dux de femoribus eius: venit enim cui repofita erant, illa expectatio gentium, cuius fanguinis Rom. 11. Gen. 49.

cum

cum vltio repetatur, nullus est qui consoletur Ierusalē. § Omnes inimici mei audierunt mala mea, & laetati sunt quoniam tu fecisti. § Olympiodori. Inimici sunt animae illi impuri daemones: qui etiam illius amatores dicuntur; nam cum inimici sint, amare se simulant: qui postquam ad peccandum induxerint, insuper de illius casu laetātur. § Adduxisti diem. §

Olymp. legit, οἴμοι οἴμοι, sed corrupte emēdate legit Origenes ὅμοιοί μοι, vt etiā Vaticanus cod.

sumendi supplicij. § Hei mihi, Hei mihi. § Eivsdem. Repetitio doloris magnitudinem significat.

CHSEN. VVLGATA.

Audierunt quia ingemisco ego, & non est qui consoletur me; omnes inimici mei audierunt malum meum, laetati sunt quoniam tu fecisti. Adduxisti diem consolationis, & fient similes mei.

AVDIERVNT amici mei me ingemiscere, & se amicos esse obliti, nullam consolationem attulerunt. Audierunt inimici, & insuper laetati sunt: illi tamquam ficti amici quod facere debuerant, omiserūt: isti inimicum animum etiam gratulando malis meis ostenderunt. Laetati sunt autem quoniā tu fecisti; intelligentes me nudatam tua gratia, tuoque praesidio destitutam semper in malis futuram, & de leuioribus ad peiora deuoluendam. Ii vero quam imprudenter non solum inhumane faciant in eo quod de meis malis gratulantur, dies ipsa declarabit: nam statim atque adduxeris diem consolationis meae, sicut malis laetati sunt, ita felici meo statu maerebunt, & mei qualis nunc sum, similes fient.

§ Audierunt quia ingemisco ego. § Audierunt procul dubio amici mei, quamuis ficti & inconstantes: puta Aegyptij, qui fidem amicitiae non praestiterunt, sed Iudaeos vt solebant in summo discrimine deseruerunt, sibique quam illis consulere

Ierem. 37. maluerunt. § Adduxisti diem consolationis. § Forma est loquendi Hebraicae linguae familiaris. Vbi adduxeris diē consolationis, fient mei similes: neque vero haec verba sic accipiēda sunt, tamquam inimicorum suorum vicissitudinem atq; perniciem optet, sed potius documentum affert, si res nostras in tuto collocare velimus, nihil nobis magis curandum esse, quam vt aduersos aliorum casus grauiter ac moleste feramus,

& tam-

& tamquam si res nostra agatur, in doloris communionem veniamus: simul etiam humanae imprudentiae ignorantiam notat, quae cum insolenter de alienis malis laetatur, aduentare sibi perniciem eandē prae stultitia non prospicit. In Hebraeo autem pro die consolationis, diem quem vocasti, legimus, vt Dei praedestinationem praefinitionemq; indicet: non enim temere aduersi casus eueniunt, sed certissima Dei dispositione atque moderatione contingunt. Aut diem quem vocasti, quem vt adueniret iussisti: non modo enim omnia ex diuina praefinitione veniunt, sed etiam eo tempore quo ille praeceperit veniunt. sic autem dicitur Deus vocare diem, quemadmodum psalmo 104. dictum est, § & vocauit famem super terram. § Nec vero male, quantum ex Hebraeo licet, intelligi possit, § Adduxisti diem vocationis seu inuocationis, § hoc est diem tribulationis; id enim nostrae inertiae est, vt in die tribulationis Deum inuocemus, cum saepe alias illius ne meminerimus quidem. sic dixit Ieremias cap. 11. § Non exaudiam in tempore clamoris eorum ad me, § & tempus clamoris quod nam sit, declarat subiungens, in tempore afflictionis eorum. § Et fient similes mei. § His verbis ostendit rerum humanarum varietatem ac vicissitudinem, docetq; neminem a malis, quae alij contigisse viderit securum esse debere, sed timēdum cuiq; esse, ne quod hodie alteri accidit, cras in se & quidem cumulate redundet.

THAV. L X X.

Ingrediatur omnis malitia eorum ante faciem tuam, & reuindemia eos, sicut reuindemiauerunt me pro omnibus peccatis meis: Multi enim gemitus mei, & cor meum maeret.

ORIGENIS. Hoc est ne vlterius eorum vitium suo arbitrio dimittatur, sed ad tuam inspectionem veniat: tamquam siquis oraret vt vulnera veniant in medici conspectum, vt perfectam sanitatem accipiant; id enim significat illa vox, § omnis; § nam summae felicitatis est non peccare, sequens est illud omnia nostra vitia a Deo inspici. Reuindemiare vero est, post vindemiam exiguos racemos relictos denuo colligere, quod pauperes faciūt. Vt igitur cum me inspiciebas, diligen-

ter meos palmites expurgabas, vitiosa omnia amputans etiã exigua de vua fellis;& de botro amaritudinis,sic meos quoq; inimicos reuindemia,id enim mihi vtile est. Siquidem postea quam illi perfecte saluati fuerint, ego quoque secundum tuũ o Domine iudicium,salutem adipiscar, quos videns admodũ maereo,meque ipsam condemno,tua inspectione carens.

THAV. VVLGATA.

Ingrediatur omne malum eorum coram te, & deuindemia eos,sicut vindemiasti me propter iniquitates meas. Multi enim gemitus mei & cor meum maerens.

QVICQVID inimici in me maligne inhumaniterq; fecerunt,id omne ad tuum iudicium discussionemque deferatur, & vicem illis pro suis in me malefactis tãquam iustus arbiter reddas oro;& sicut vindemiasti me,ita vt qui caedi superfuerant,eos iterum caederes,& tamquam reliquos de vindemia racemos decerperes, ad eundem modum eos quoque deuindemia,vt ne ij quidem, qui caedem fugerint relinquantur,adeo enim me vindemiasti & caecidisti vt assidue in gemitu verser,& gemitus ex intimo cordis maerore procedat. § Ingrediatur omne malum eorum coram te. § In memoriam tuam redeat,hoc est repende quod suis male factis commeriti sunt,in discussionem examinationemque ac iudicium tuum causa illorum veniat, iuxta illud quod Esaiae 1. scriptum est. § & causa viduae non ingreditur ad illos. § & psalmo 78. § Introeat in conspectu tuo gemitus compeditorum.§ Hoc est innotescat, notum fiat: meminerimus autem in his verbis non execrabili odio & implacabili cladem inimicorum optari,sed prophetico spiritu praedici,& voluntate a terrenis affectibus expedita,& quodammodo cum Deo conserta,diuinae sententiae decreta in impios pronuntiari.

Esaiae 1.
Psal. 78.

THRE-

THRENORVM IEREMIAE IVXTA LXX.

CAPVT II.

ALEPH.

Quomodo obtexit caligine in ira sua Dominus filiam Sion? proiecit de caelo in terram gloriationem Israel, & non est recordatus scabelli pedum suorum?



ICTORIS. Hinc initium sumit secundum Alphabetum. Oratio est autem admirantis inopinatā adeo mutationem propter ipsius Ierusalem peccata: caligo vero animae aerumnae sunt ex eius caliginis proportione quae per hyemem accidere solet ac lucem obscurare, quomodo ipsa quoque Ierusalem suum splendorem perdidit, & tristis facta est. Quod vero ait, § Filia Sion, § vel per circumlocutionem ipsam Sion significat, vt etiam illud, § Filij hominum; § vel vrbem ipsam dicit tamquam in parte montis collocatam. § Proiecit de caelo in terram gloriationem Israel; § Similiter hic dictum est gloriatio Israel, atque illud apud eundem prophetam, § Ablata est a capite eorum corona gloriae. § Et non est recordatus scabelli pedum suorum. § Scabellum vero Dei dicit Ierusalem, quod super eam olim diuinae virtutes ingrederentur, quae Dei pedes vocantur, in ministerium missae propter eos qui haereditatem salutis accepturi sunt; & quia proxime subiectae Deo sunt; itaq; vltima captiuitate imminente, vt Iosephus narrat auditae in templo sunt voces dicentium, abeamus hinc; tale est illud apud Ezechiel, § Ascendit gloria Domini ex media vrbe. § OLYMPIOD. Scabellum Dei templum ipsum dicit, tamquam Diuina praesentia de caelo in illud vsque perueniente; aut etiam Israeliticum populum qui Dei cognitione dignus esset habitus. Thronus enim Dei vocatur caelum, vtpote cum Deus ibi in illis purissimis rationalibus naturis requiescat. Scabellum vero terra cum illius cognitio in nos quoque pro rata portione perueniat.

Ierem. 13.

Hebr. 1.

Ioseph de Capt. lib. 6. cap. 31.

Ezechiel.

ALEPH. VVLGATA.

Quomodo obtexit caligine in furore suo Dominus filiā Sion? proiecit de caelo in terram inclytam Israel, & non est recordatus scabelli pedum suorum in die furoris sui?

QVOMODO furore suo tamquam efflato caliginoso vapore obtexit Dominus habitantem coetum in Sion,& de sublimi dignitate tamquam de caelo in terram proiecit gloriam Israel; & ex inspectione sua gubernationeque praecipua quasi ex oculis repulit & abiecit; neque vllam rationem habuit si non populi ac gentis Israeliticae saltem templi sancti sui,in quo tamquam in regalis solij scabello suae diuinitatis vestigia posuerat?

§ Quomodo obtexit caligine. § Figurate vindictam & irā Dei aduersus populum Iudaeorum describit, tamquam nube, sic aerumnis & calamitatibus illum populum obscurantis; vt in aere fieri solet quum caligine sparsa decor ille purae lucis obtegitur. Eleganter autem quia velut imber vindictae diuinae demittendus erat,praemisit irae diuinae caliginem. Nonnulli verbum יעיב pro quo beatus Hieronymus vertit, § obtexit caligine, § exponunt, ad nubes extulit filiam Sion & inde vt grauius rueret in terram proiecit. § Filiam Sion. § Sic solet congregationem seu coetum habitantem in Sion appellare & filiam,quasi delicatam,& insigni gloria ornatam. § Proiecit de caelo in terram inclytam Israel, § aut de sublimi gloria atque imperio,iuxta illud psalmi 101. Quia eleuans allisisti me: aut de conspectu protectioneq; sua praecipua,vt 4. Reg. 17. § Irascebatur enim Dominus contra Ierusalem & contra Iudam donec proijceret eos à facie sua. § Inclytam Israel. § LXX. δόξασμα, gloriationem Israel, in qua totus Israel gloriabatur, quae Israelis tamquam eximium ornamentum ac decus erat, qua tamquam corona gemmis, auroq; conserta tota gens honestabatur. & notandum ciuitatem in qua Dei religio templumque erat,vocari totius gentis decus & gloriam: id enim semper in praecipuis habendum est quod ad Dei cultum, venerationemque pertinet. Vnde ipse mons Sion in quo templum extructum erat,in psalmo 47. § Exultatio vniuersae terrae vo-

Psal. 101. 4. Reg. 17. Psal. 47.

rae vocatur. § Scabelli pedum suorum. § Scabellum pedum ipsum templum intelligit, quod in eo tamquam impressa vestigia Diuinitatis erant, ibi cultus exhibebatur; ibi per arcam & intima illa adyta soli summo Sacerdoti peruia Deus ipse figurabatur: ibi eius oracula, prodigia edebantur. Aut certe tamquam in figura quadam Diuinae Sedis propitiatorium illud erat supra arcam a Cherubim ex vtroque latere subleuatum, quamobrē dicitur, § Qui sedes super Cherubim. § quod Psal. 89. si propitiatorium quaedam sedis figura & species erat, consequenter arca subiecta propitiatorio figuram quandam Scabelli exhibebat. Vnde etiā in psalmo 131. § Introibimus in tabernaculum eius, adorabimus in loco, vbi steterūt pedes eius. Psal. 131.

BETH. L X X.

In die irae suae absorbuit Dominus non parcens, omnia speciosa Iacob: destruxit in furore suo munitiones filiae Iuda: deiecit in terram: polluit regem eius & principes eius.

EX INCERTO. Calamitatibus Iuda calamitates Iacob hoc est decem tribuum admiscet, lamentationemq; consociat. dicit enim Deus per Prophetam, § quia in iram meam Ierem. 32. & in furorem meum fuit ciuitas haec, ex quo die aedificauerunt eam, & vsq; ad diem hanc; vt remoueam eam a facie mea propter malitias omnes filiorum Israel & Iuda. § § Speciosa Iacob. § EIVSDEM. Speciosa Iacob ampla illius vrbis & regionis aedificia & muros & arces: iuxta illud, § posuisti firmamenta eius formidinem: diripuerunt eum omnes transeuntes Psal. 88. viam. § Iuxta allegoriam vero, animae perturbationibus deditae speciosae illae contemplationes demerguntur passionū fluctibus absorptae, quando supplantare hostes cum deberet, ab aduersarijs prosternitur: idque permittit Deus, quia non in caeno iacent margaritae, vt etiam peccatori dicit, § quare tu enarras iustitias meas? § § Omnia speciosa Iacob. § OLYMPIOD. Ad litteram quidem omnem illum legalem cultum: Psal. 49. iuxta sublimiorem intellectum, mores pietatis. § Destruxit in furore suo munitiones filiae Iuda. § EIVSDEM. Destructionem vocat illam e fundamentis commotionem. § Munitiones si-

nes filiae Iuda. § Eivsdem. Iuxta litteram templum,& fortes viros qui in illa erant. iuxta spiritalem intelligentiam, impuros ostendit praestantes illius mores. § Polluit regem eius & principes eius. § Eivsdem. Ad litteram, potentes, qui in ea erant. ad sublimiorem intelligentiam, virtutes inuictas ad res terrenas abiecit.

BETH. VVLGATA.

Praecipitauit Dominus, nec pepercit, omnia speciosa Iacob: destruxit in furore suo munitiones virginis Iuda; & deiecit in terram: polluit regnum & principes eius.

DESTRVXIT Dominus nulla loci ratione habita templum ipsum, quod speciosissimum erat in Iacob; destruxit omnes magnificas aedes, adeo vt ne vestigium quidem earum vllum remaneret: Solo aequauit munitiones ac turres praecipuae, & elegantissimae ciuitatis in tribu Iuda, nempe Ierusalem; & vsque ad solum diruit: ludibrio habuit regnum & principes eius.

§ Praecipitauit, § in Hebraeo est absorbuit. LXX. transtulerunt κατεπόντισε demersit, seu vt arbitror κατεπόντισε, vt absorberentur fecit. absorbere autem est ita destruere vt nihil reliquum sit, nihil appareat, sed funditus intereat: quod enim absorbetur amplius non apparet; ergo praecipitauit est ita destruxit vt nulla pars relinqueretur, quasi sub terram abdita essent & absorpta. § Speciosa. § Aut ipsum templum hoc nomine appellat, propter aedificij maiestatem ac pulchritudinem; aut amplas & magnificas aedes. Munitiones autem dicit arcẽ, moenia, turres. § Polluit regnum & principes eius. § Regnum ipsam gentem Israel, quae erat regale sacerdotium. polluit autem, in opprobrium dedit vt versu 6. § Dedit in opprobriũ & in indignationem furoris sui Regem & Sacerdotem. § § Aut in terram deiecit, § vt psal. 73. § in terram polluerunt taber- Psal. 73.
naculum nominis tui, § & psal. 88. § profanasti in terram san- Psal. 88.
ctuarium eius, § quod tantundem est ac si dixisset, polluisti in terram Sanctuarium eius.

GIMEL.

GIMEL. L X X.

Confregit in ira furoris sui omne cornu Israel: auertit retrorsum dexteram suam a facie inimici; & accendit in Iacob quasi ignem flammam: & deuorauit omnia in gyro.

ORIGENIS. Simile est apud Dauid, § Omnia cornua peccatorum confringam. § Dicit vero nunc principes in quibus est gentis fortitudo, vt in cornigeris animantibus. & quia corpus excedunt, vt supra subiectos eminent principes. Daniel quoque regna cornibus comparauit. Significat etiam cornu superbiam animi atque despicientiam, vt in illo, § nolite extollere in altum cornu vestrum. § Auertens igitur suã dexteram salutarem expugnabiles reddidit inimicis, quos etiam flammam omnia consumentem appellauit. neque vero absurde omnis elata intelligentia cornu dici possit, & ignis passiones ignominiae, quibus delinquens traditur, postquam perdiderit omne circumstans auxilium iuxta illud, § Immittit angelus Domini in circuitu timentium eum. § § Omne cornu Israel. § OLYMPIOD. Secundum historiam, omnes tribus, vel omnes potentes. Secundum excellentiorem contemplationem omnes animi mores ad vincendum aptos. § Auertit retrorsum dexteram suam a facie inimici. § OLYMPIOD. Aut ipsius Israel recte ac dextere facta in peius, hoc est ad sinistram partem auertit: posteriora enim sunt sinistra omnia dextris. aut Deus suas vires cohibuit, neque illos cum ab hostibus oppugnarentur defendit. § Et accendit in Iacob quasi ignem. § OLYMPIOD. Cum a Romanis capti sunt. Ira igitur Dei tamquam ignem accendit in Iacob, ipsam nempe vim suã scelerum vltricem.

Psal. 74.
Daniel 8.
Psal. 74.
Rom. 1.
Psal. 33.

GIMEL. V V L G A T A.

Confregit in ira furoris sui omne cornu Israel, auertit retrorsum dexteram suam a facie inimici; & succendit in Iacob quasi ignem flammae deuorantis in gyro.

IMMINVIT & abstulit in furore iraque sua vtrumque regnum, & Israel & Iuda, omnem gloriam gẽtis Israeliticae sustulit, omnem potentiam roburque debilitauit: neque brachium

chium ſuum & manum dexteram extendit, vt auxilium periclitanti populo ſuo ferret, neque vires ſuas aduerſus hoſtes populi ſui exeruit, ſed potius retraxit: & iram ſuam quaſi ignem accendit, non ſegnem & inertem, ſed ignem flammae mobiliſſimum & violentiſſimum, obuia quaeq; corripientem atque conſumentem. § Omne cornu Iſrael. § Cornuum appellatione regna ſignificari frequenter in Daniele reperitur. ſignificat etiam conſequenter gloriam, claritatem, etiam robur potentiam, quod in cornibus vires habeant quae cornigera ſunt animantia.

DALETH. L X X.

Tetendit arcum ſuum quaſi inimicus aduerſarius. firmauit dexteram ſuam quaſi aduerſarius: & occidit omnia deſiderabilia oculorum meorum in tabernaculo filiae Sion: effudit quaſi ignem indignationem ſuam.

ORIGENIS. Nam & in templo caedes facere Deo permittente auſi ſunt hoſtes. recte autem dixit, § quaſi aduerſarius, § non enim inimicitias gerens punit Deus, ſed prodeſſe volens aut ijs qui patiuntur, aut ijs qui vident. Tabernaculum porro vocat ipſum tēplū, qualis erat prior illa ſanctificatio, arcum quoq; vim illam vltricem, vt in Abacuc, § intendēs intendes arcum tuum in tribus dicit Dominus, § aduerſarios nempe principatus ac poteſtates. Filius vero dextera cum eſſet Dei ac Patris ſtrenue deuicit, deiectis idolis quae in templo Dei ſtatuerant, haec namque ſunt deſiderium oculorum, pro idolis daemones inhabitantes occidens. OLYMPIOD. Perfectam Dei auerſionem dicit, quo auerſo, certae ab hoſtibus plagae inferuntur. § Et occidit omnia deſiderabilia oculorum meorum. § OLYMPIOD. Ad litteram, filios & filias eorum, & ſi quod praeterea erat animal in pretio. Ad ſublimiorem vero intelligentiam, praeſtantiores animae appetitiones. id enim efficit Dei auerſio: nam eius inſpectio vita eſt. § In tabernaculo filiae Sion. § EIVSDEM. Secundum hiſtoriā, quia in templo interfecti ſunt. ſecundum ſpiritalem intelligētiam, in animae cubiculis.

Abacuc 3.

DALETH.

DALETH. VVLGATA.

Tetendit arcum suum quasi inimicus, firmauit dexteram suã quasi hostis, et occidit omne quod pulchrum erat visu in tabernaculo filiae Sion; effudit quasi ignẽ indignationẽ suã.

NON solum nullam Iudaeis opem tulit aduersus hostem, & auertit dexteram suam, sed etiam in inimicum conuersus, intendit in eos arcum suum, & sagittis confixit, improuisis malis ex occulto & inopinato venientibus vulnerauit; & ne in incertum sagittae iacerentur, hostis more firmauit in arcu manum suam, vt certo vulnere feriret, ac totis viribus intendit, vt grauius vulneraret. Itaque virgines & adolescentes, & quicquid aspectu pulchrum erat occidit, & iram illam intra se conceptam, quam patientia diu cohibuerat, semel totã abũde tamquam igneum halitum effudit in tabernaculo atq; ciuitate Sion, totamque vrbem eo incendio concremauit.

§ Firmauit dexteram suam. § nempe in arcu, vt quam vehementissime posset sagittam iaceret, & grauissime vulneraret. aut firmauit vt ne vacillaret, & in incertum iaceret, sed locum feriret. dictum est autem hoc, vt opponeretur ei quod supra dixit, § Auertit retrorsum dexteram suam a facie inimici. § ab hoste auertit dextram, aduersus ciuitatem Ierusalem firmauit. § Quod pulchrum erat visu, § hoc loco puto commode distingui posse, vt deinde ex alio initio subiungatur, § In tabernaculo filiae Sion effudit quasi ignem. § vt etiam capite 4. § effudit iram indignationis suae & succendit ignem in Sion, & deuorauit fundamenta eius. § nam de incendio vrbis loquitur. & ad hunc modum in Hebraico distinctum legimus. § Quod pulchrum erat visu. § Virgines & adolescentes intelligit, in quibus species & aetatis ille flos vigebat.

HE. LXX.

Factus est Dominus velut inimicus: absorbuit Israel, absorbuit palatia eius: corrupit munitiones eius: & multiplicauit filiae Iuda humiliatum & humiliatam.

ORIGENIS. Quod in Graeco est, βάρεις, domos significat, quas Symmachus basilicas transtulit. repetit autem lamenta-

I

mentationes, vt qui in luctu admodum dolet. Iterumq; indicat se humilem sensum, humilemque cogitationem suscepisse; destructis tamquam domibus atq; munitionibus, animum quodammodo complentibus. Virtutes namque habitacula sunt, illis enim tegimur: munitiones vero oppositae illae ratiocinationes, non enim in malam partem hoc loco accipiuntur, vt illa altitudinũ destructio extollentiũ se aduersus scientiam Dei; neq; illa humiliatio intelligitur, per quã Dei iustificationes discimus. haec enim gaudio, non lamẽtatione sunt excipiẽda. ⸿ Factus est Dominus velut inimicus. ⸿ OLYMP. Cũ ipsi seipsos inimicos Dei, propter peccata in illum admissa cõstituissent: Deus enim neminẽ odit. ⸿ Absorbuit palatia eius. ⸿ OLYMP. Ad litterã quidẽ, muros dicit & templum ac domos. ad spiritalẽ sensum, munientes animã probas ratiocinationes. Aliter, quia apud Iudaeos post ausum in Christũ facinus, nullus adhuc propheta, nulla reuelatio, nullũ legitimũ sacrificiũ. ⸿ Multiplicauit filiae Iuda humiliatũ & humiliatam. ⸿ OLYMP. Post historiã, eos intelligit qui sub peccato captiui facti sunt.

1.Cor.10.

Psal. 118.

HE. VVLGATA.

Factus est Dominus velut inimicus; praecipitauit Israel, praecipitauit omnia moenia eius, dissipauit munitiones eius; & repleuit in filia Iuda humiliatum & humiliatã.

QVAMVIS autem in Dominum inimicitiae & odia non cadant, procul est enim ab ijs affectibus Diuina illa natura, tamen velut inimicus factus est, cum perniciem & interitum inferri permisit. Praecipitauit & velut absorbuit Israel, ita vt nihil paene ex ea gente relictum sit, tamquam e conspectu penitus ablata: praecipitauit etiam non modo gentem, sed moenia quoque, & arces ac muros diruit, & ciuitatem praecipuam atq; magnificentissimam in tribu Iuda, plurimis maximisque malis atque calamitatibus impleuit. ⸿ Humiliatum & humiliatam. ⸿ Repetitio eiusmodi vocum apud Hebraeos multiplicitatem seu amplificationem significat, vt sit, summam abiectionem & afflictionem filiae Iuda intulit. Symmachus autem apud Isaiam cap. 29. has easdem Hebraeas voces sic transtulit, καὶ ἴσαι κατώδυνος καὶ ὠδυνωμένη, eodem

Esa.29.

dem

dem fere modo quo in praesenti loco transtulit B. Hieronymus, §humiliatum & humiliatam,§ vt ad viros & mulieres referatur,ac sit sententia,& multiplicauit in filia Iuda,tam in viris quam in feminis dolores & afflictiones.in loco autem dicto Isaiae B. Hieronymus vertit, §& circumuallabo Ariel, & erit tristis & maerens,§ hoc est maerebit admodum.

VAV. L X X.

Et expandit quasi vitem tabernaculum suum,corrupit festiuitatem suam: Oblitus est Dominus quae fecit in Sion, festiuitatis & sabbati: & irritauit fremitu irae suae regem & sacerdotem & principem.

OLYMPIOD. Vel hoc dicit quod illam synagogam,quae antea quasi vitis extenta erat,tradidit hostibus. Vel sic,illam perinde ac vitem nulla custodia munitam, diripientibus exposuit. §Corrupit festiuitatem suam.§ EIVSDEM. Ipsius Ierusalem legales illas festiuitates:animae vero, illud de rebus optimis gaudium. ORIGENIS. Tabernaculum ipsum templum dicit, vitem & vineam populum Israel, iuxta illud Dauidicum, §Vineam de Aegypto transtulisti.§ & apud Esaiã Psal. 89.
§Vinea facta est dilecto.§ Ac Dauid quidem adiungit, §Vt quid destruxisti maceriam eius?§ & quae sequuntur: Esaias Esa. 5.
vero, §Destruxisti sepem eius,§ & quae ijs adiecta sunt. haec eadem praesens lamentatio declarauit.Deus enim cum suum praesidium cõtraxisset,hostibus tradidit,cum Angelus in circuitu eius non adhuc castrametaretur,quia non timebat Dominum. Cessare fecit etiam stata illa ad cultum exhibendum tempora, vt in Esaia dicit, §ieiunium & otium & festiuitates vestras odit anima mea:§ quod ipsum obliuionẽ appellauit, non quasi humanum sit in eo vitium. Irritauit etiam regem & sacerdotem,indigne ferentes,quod cum pars Dei essent,mala adeo grauia ab impijs illata tolerarent. §Oblitus est Dominus quae fecit in Sion festiuitatis & sabbati.§ OLYMPIOD. Despexit inquit etiã suas leges, quibus festos dies & sabbata agere iussum erat. §Et irritauit fremitu irae suae regẽ, & sacerdotẽ & principẽ.§ OLYMP. Permisit vt amplius affligerentur,vel ipse irritatus, vel de felicitate hostium irritans.

(Psal. 33. beside "cir-"; Esa. 1. beside "tempora")

VAV. VVLGATA.

Et dissipauit quasi hortum tentorium suum, demolitus est tabernaculum suum: Obliuioni tradidit Dominus in Sion festiuitatem & sabbatum; & in opprobrium & indignationem furoris sui regem & sacerdotem.

TENTORIVM illud suum templum dico, cuius obiectu nos protegebat, & sub quo tamquam sub vmbraculo ex ramis frondibusque contexto ab imbre irruentium calamitatum, & aestu tentationum tuti eramus, veluti cum hortus saepe disiecta destruitur, ita dissipauit atque disiecit. Tabernaculumque suum, vbi peccata populi expiabantur, & quo populus in festiuitatibus conueniebat, destruxit, ac demolitus est: Itaque consequenter templo tabernaculoque sublato memoriam quoq; festiuitatum & sabbati sustulit, quorum vt attentissime meminissent praeceperat. & cũ indignatione quadam tamquam rem odiosissimam, & sibi ingratissimam abiecit a se & opprobrio tradidit regem & sacerdotem.

§ Et dissipauit quasi hortum tentorium suum. § Tentoriũ hoc loco non quasi ex aulaeis compositum dicit, sed quasi ex ramis folijsque contextum, quo tentorio templum illud significare videtur sub quo sibi tuti ac tecti esse videbantur. Itaque conuenienter similitudo horti assumpta est. nam & horto & tabernaculo seu tentorio id commune est, vt hoc superne confertis ramis arborum tegatur, ille spinis vndique contextis sepiatur; sicut igitur ablata sepe hortus diripitur & dissipatur, sic ablata illa ramorum contextione tentorium & vmbraculum aperitur atque nudatur. quo tegumento ablato, neque a pluuia, neque ab aestu quisquam defenditur. Porro חמס quod dissipare dixit B. Hieronymus, pro eo quod est aperire, nudare tegumento saepe poni solet. vt apud hunc eundem prophe-

Ieremi 13. tam cap. 13. § reuelata sunt verecundiora tua, pollutae sunt plantae tuae. § quod LXX. dixerunt, παραδειγματισθήσονται τὰς πτέρνας σου, § vt reuelentur plantae tuae. § itaque recte etiã hoc loco dixerunt, καὶ διεπέτασεν ὡς ἄμπελον τὸ σκήνωμα αὐτοῦ. § & explicauit vt vitem tabernaculum suum. § vt vitem, quae prius tecta erat ramis ac frondibus & quasi multiplici palmitum ac folio-

foliorum tegumento conserta & implicata, folijs cadentibus, excisisque palmitibus aperuit & explicauit, adeo vt vmbram facere & solē arcere praeterea non posset. hic sensus est LXX. in quibus adnotandū pro גנו legisse גפן vna addita littera. Ablato igitur illo tentorio, seu tabernaculo, quod vel templum, vel vim diuinae protectionis intelligere licet, de quo Dauid dicit, § Quoniam abscondit me in tabernaculo suo in die malorum, protexit me in abscondito tabernaculi sui, § nil mirum si aestuauit Israel, & solis ardore tribulationumque vi tamquā caumate adustus vt olim Ionas, defecit & anxiatus est. § Et in opprobrium & indignationem furoris sui regem & sacerdotē. § Potest vniuersaliter hoc intelligi, quod opprobrio tradiderit regnum illud ac sacerdotium, tāquam rem quā non magni penderet, vt Iudaei putabant, quippe quae ad vmbratilē, non ad verum Dei cultum pertineret: potest etiam proprie de Sedecia rege & Saraia summo Sacerdote dictum videri, quem Nabuchodonosor captum, Antiochiae quae in Scriptura Rebla dicitur, iussit interfici. lege 4. Regum. cap. 25. Psal. 26.

ZAIN. L X X.

Repulit Dominus altare suum, excussit sanctificationem suam: contriuit in manu inimici murum turrium eius. Vocem dederunt in domo Domini, sicut in die festiuitatis.

OLYMP. Legale illud, vt aliud spirituale noui testamenti subrogaretur. Sin de captiua anima accipiatur, propterea quod indigna Dei cultu visa est. ORIG. Sacra vasa tradidit, quod impiorum hominū sacrificia non iam illi placerent: iuxta illud, § holocautomata arietum, & adipem agnorum, & sanguinem taurorum, & hircorum nolui. § tradidit murum, qui domos Vrbis, vel vt Symmachus edidit, basilicas continebat. At vero hostes cum ipsum quoque templum cepissent, iā tamquam de perfecta victoria festum diem clamoribus agebant. OLYMPIODORI. Animae vero altare vis illa rationalis est nobis insita, per quod passiones mortificatae sacrificantur. § Excussit. § Violenter abiecit. § Vocem dederunt in domo Domini. § EIVSDEM. Hostes magnopere gaudentes. § Murum turrium eius. § EIVSDEM. Nam omne illius munimentū abstulit.

ZAIN.

ZAIN. VVLGATA.

Repulit Dominus altare ſuum, maledixit ſanctificationẽ ſuae. tradidit in manus inimici muros turrium eius. Vocem dederunt in domo Domini ſicut in die ſolenni.

REPVLIT Dominus altare ſuũ tamquam nihil ad ſe pertinens, tamquam pollutum iam, & ſuo cultu indignum & ineptum. Sanctificationemq; ſuam ac templum in quo ſanctificabantur, & conſecrabantur oblationes populi, maledixit, & tamquã rem odioſam abiecit: in ditionẽ poteſtatemque hoſtium tradidit muros turrium eius: qui cum templũ diruerent, ac diſturbarent, vocem dederunt & clamore laetitiam indicauerunt, non ſecus atq; in eo populus Iſrael in die ſolenni vndiq; conueniens elata ſublimiq; voce acclamare ſolebat. § Maledixit. § LXX. ἀπετίναξεν, excutiendo quaſi cum impetu abiecit. alij, reliquit, vel odit. alij κατήργησεν, otioſum reddidit, ceſſare fecit. § Tradidit in manus inimici. § הסגיר. At LXX. legiſſe videntur השביר, itaque tranſtulerunt, συνέτριψε, contriuit niſi cuiquam videatur illos tranſtuliſſe συνέκλεισε, concluſit vt ſolent, quod Origenes indicare videtur, cum dixit παρέδωκε δὲ καὶ τὸ συνέχον τεῖχος τὰς οἰκίας τῆς πόλεως, tradidit etiam murum qui domos vrbis continebat. nam ſi συνέτριψε legiſſet, & non potius συνέκλεισε, non illud verbo παρέδωκε declaraſſet.

HETH. LXX.

Cogitauit Dominus corrumpere murum filiae Sion: tetendit menſuram, non auertit manum ſuam a conculcatione: luxitque antemurale, & murus pariter infirmatus eſt.

OLYMPIOD. Iudicauit murum ipſam legem. § Tetendit menſuram. § Parem iudicij normam extendit. EIVSDEM. Supplicij menſuram extendens, quod ipſum vidit Zac-
Zacch. 1. charias. § Non auertit manum ſuam a conculcatione. § EIVSDEM. Non pepercit quominus in conculcationem eos proijceret, qui aſſidue in ipſum peccabant. § Luxitque antemurale. § ORIGENIS. Luget vero murus & antemurale, quod ea
Esa. 14. digna luctu ſint, & videntibus vt lugeant, cauſa. § Nam conſilium Dei quis diſſipabit? & manum eius excelſam quis auertet? §

tet? § vt est apud Beatum Esaiam. Hanc vero siue vrbem siue animam hoc modo lugentem, vt esset hostibus conculcatio, lugeri ab angelis ipsam antea inuicem custodientibus credibile est, tum sublimioribus, tum inferioribus. nam si de salutē consecutis gaudent, de lapsis quomodo non lugebunt?

HETH. VVLGATA.

Cogitauit Dominus dissipare murum filiae Sion, tetendit funiculum suum, & non auertit manum suam a perditione: Luxitque antemurale, & murus pariter dissipatus est.

MVlto iam ante tempore statuit Dominus dissipare muros ciuitatis Sion illius magnificae & illustris: extendit funiculum suum ac mensuram, ad illam diruendam, & ab ea demolienda atque perdenda manum suam non auertit, sed assidue intendit, & vi maxima exeruit, quousque totam ciuitatem perdidit. eiusque manu arietante ac percutiente luxit & corruit antemurale, quod muro sublimiori praestructum erat; quin etiam murus ipse pariter dirutus ac dissipatus est. § Cogitauit Dominus.§ Aeterna sua praedestinatione statuit, vt in prophetia scriptum est ab hoc eodem propheta, cap. 32. Ierem. 32. § Quia in furore & indignatione mea facta est mihi ciuitas haec a die qua aedificauerunt eam, vsque ad diem istam, qua auferetur de conspectu meo, § quod in Hebraeo est, § vt auferatur de conspectu meo. § § Extendit funiculum suum. § Hoc aliqui ad poenae mensuram criminibus respondentem significandam dictum esse putant: neque enim cum vlciscitur crimina, modum egreditur, sed pro culpae modo poenam admetitur. Sed malim hoc intelligere de funiculo qui in diruendis vrbibus a Victore extēdebatur, vt Esaias, de ciuitate Bosra ait cap. 34. § & extendetur super eam mensura, vt redigatur in nihilum, & perpendiculū in desolationem, § quasi dicat non struendi funiculū extendit, sed destruendi. § Luxitq; antemurale, § agger qui ante muros extruitur & praemunitur. Luxit, cecidit, corruit. vicina sunt enim ac similia apud Hebreos verba lugendi & cadendi, אבל נבל. maluit autē lugendi verbo vti, vt magis elate diceret, ac sensum & lacrymas muro tribueret.

TETH.

TETH. L X X.

Defixae sunt in terram portae eius: perdidit, & contriuit vectes eius, regem eius & principem eius in gentibus. Non est lex, etiam prophetae eius non viderunt visionem a Domino.

ORIGENIS. Nam velut sub terra vel mari absorptae e conspectu sublatae sunt. perierunt etiam reges ac principes, & pseudoprophetae; lex quoque eius, necessitate seruitutis: quam legem etiam antequam caperentur, vltro destruxerant. portae autem animae sunt ipsi sensus, qui illa peccante vitijs obruuntur & terreni fiunt: & quae has firmabant animae vires dissoluuntur & pereunt, mens rectrix & ratiocinationes principes, in vitijs iacent: illaque lex animi & ordo disperit; & fit Babylon confusione plena, nullam prouidentiae vim habens diuina ope ac praesidio adiutam. § Defixae sunt in terram portae eius. § OLYMPIOD. Perdidit illius monita atque praecepta, vt qui intrare velit, incertus sit ac quaerat.

TETH. V V L G A T A.

Defixae sunt in terram portae eius, perdidit & contriuit vectes eius, regem eius & principes eius in gentibus: Non est lex, & prophetae eius non inuenerunt visionem a Domino.

PORTAE eius ciuitatis Iudices nempe & magistri in portis ad iudicandũ constituti, defixae sunt in terra, & quasi terra dehiscente absorptae sunt, & e conspectu ac de medio sublati, ita vt nusquam appareant. Vectes autem ac feras, Regem dico ac Principes qui eiusmodi Iudices ac magistros & populum totum continebant, in gentibus perdidit, & contriuit, vt eorum non modo dignitatem in captiuitate abstulerit, sed etiam vires confregerit. nec minus vis illa magistra vitae, & quid faciendum sit ostendens. ablata est, nulla est enim lex, quae litteris consignata generaliter quid faciendum, a quo sit abstinendum demonstret. Sublata est etiam prophetia, quae pro temporum causarumque opportunitate, Dei monitu & oraculis edita, verbis prophetarum declarata, populum docebat.

cebat.

cebat. Itaque iudicijs, vi regia atque principali quae populum continebat ablata, doctrina legis ac prophetarum amissa, ciuitas omnis corruit, & perdita est.

§Defixae sunt in terra portae eius, perdidit & contriuit vectes eius.§ Plerique verba haec simpliciter intelligunt, quasi ipsae portae sensibiles ciuitatis ruinis deiectae & in terra defixae, ac defossae sint: Vectes item ac serae, quibus portae sensibiles occluduntur. sic Hebraei vt pleraque solent ex maiori parte carnaliter intelligere. quod autem illis imposuit illud est, quia verba sequentia, § Regem eius & principes eius in gentibus,§ sic legunt & distinguunt, § Rex eius, & principes eius in gentibus, non est lex.§ Sed quia non modo B. Hieronymus accusandi casu trāstulit Regem eius & principes eius, verum etiam multo ante Hieronymum LXX. seniores, βασιλέα αὐτῆς, καὶ ἄρχοντα αὐτῆς, clarum est tam hos, quam illum portas & vectes non simpliciter, sed figurate intelligendas putasse; & Regem ac principes & iudices esse portas illas ac vectes existimasse. terram autem in qua defixae sunt portae, gentes inter quas perditi & contriti sunt vectes intellexisse; vt sequentia verba priorum sint quodammodo expositio. quomodo etiam in psalmo 147. accipiendas puto seras & portas. Psal. 147.
§Lauda Ierusalem Dominum, lauda Deum tuum Sion, Quoniam confortauit seras portarum tuarum, benedixit filijs tuis in te.§ Vt enim vectes portas obstruunt, ne ingredi hostes valeant, & ciuitatem vrbemq; continent, sic Reges ac principes iustis iudicijs, iniquitatem irruentem ab ingressu excludunt & arcent. itaque verissime a Salomone dictum est Prouer. 18. Prouer. 18.
§frater qui adiuuatur à fratre, quasi ciuitas firma, & iudicia quasi vectes Vrbium.§ alioqui quae cognatio esset inter vectes & Regem ac principes, quaeue consequentia connexioq; sermonis de vectibus ad Regem ac principes transire? Portas vero eos qui sunt ac versantur in portis accipiendas puto, ea dicendi figura qua per locum ij qui sunt in loco intelliguntur: in portis vero iudices sedebant ad causas iudicandas, vt ait Moyses in Deuteronomio cap. 16. § Iudices & Magistros constitues in omnibus portis tuis, quas Dominus Deus tuus dederit tibi, per singulas tribus tuas, vt iudicent populum tuū

K iusto

iusto iudicio. ʒ has portas e loco suo dimotas in terram, hoc est inter gentes defixas esse ibique iacere captiuas dolet. ʒ Et prophetae eius non inuenerunt visionem a Domino. ʒ Aiunt Hebraei Prophetas dum in captiuitate in terra aliena essent non habuisse Domini oracula. Id vero falsum est, cũ Ezechiel, Daniel, Zaccharias postquam capta est Ierusalem prophetauerint. Itaque alij dicunt obscurius prophetasse post captiuitatem. Sed id nihil ad rem: satis enim est prophetasse. Itaq; & Origenes & fere omnes nostri hoc de falsis prophetis dictum esse volunt. Sed illud quoque dici potest, veros etiam prophetas sub illud imminentis excidij tempus non inuenisse visionem a Domino, quod in eorum paenam fiebat, qui necessitatis tempore oracula quaerebant, cum tamen Deum verũ deseruissent, & alienos Deos colerent, & prophetas veros vexassent, eorumq; verba ludibrio habuissent: qua paena etiam Saulem mulctatũ esse legimus, instante iam eius interitu, & Israelitarum clade; qui cum consuluisset Dominum, nullum ab eo responsum tulit, neque per somnia neque per sacerdotes, neque per prophetas. quod si Ieremias imminente vrbis excidio Sedeciae regi quid futurum esset praedixit, nihil id praesenti loco quominus verus sit officit. neque enim de omnibus prophetis dicitur non inuenisse eos visionem a Domino, sed excipi ab eo numero Ieremias debet, vt huic concessum sit quod alijs est negatum. Itaque quod generaliter fiebat, id in hoc loco dicit, prophetas non inuenisse visionem, quod vero ipsi tributum est, id speciale munus fuit.

Ierem, 37.

IOD. L X X.

Sederunt in terra, conticuerunt senes filiae Sion: imposuerunt puluerem super caput suum, accincti sunt saccis: deduxerunt in terram principes virgines in Ierusalem.

ORIGENIS. Tristia narrat spectacula in letitiae loco edita: nam incusso timore ne lugere quidem senibus permittebant; primariasq; virgines in terram spectare iubebant, ne si conspicerentur illos ad vim inferendam formae praestantia pertraherent. Dici quoque potest, eos etiam, qui antea virtutis merito antiquiores erant, propter quam hoc nomine vocaban-

cabantur, terrenos iam factos, & in affectibus irrationalibus haerentes, nihil iam secundum rationem facere, cum & spiritum, quae princeps erat in illis animae pars, in terram vertissent, & humilem illum sensum, quem olim habuerant, luctu dignum fecissent, & cogitationes quas prius integras, incorruptasq; seruauerant corrupissent. § Sederunt in terra. § Olympiod. In terrã prostrati sunt terrena sapientes. § Conticuerunt. § Eiusdem. Perdiderunt magisterij dignitatem. obmutuerunt. § Imposuerunt puluerem super caput suum. § Olympiod. Iuxta historiam lugubris est habitus, captiuitati conueniens. Sed secundum sublimiorem intelligentiam, voluntarie inquit terrenas res suae ipsorum saluti praetulerunt. § Deduxerunt in terram principes virgines in Ierusalem. § Olympiod. Deduxerunt ad terrenas actiones, ipsas synagogas, vel etiam animas, quae saluari poterant.

IOD. VVLGATA.

Sederunt in terra, conticuerunt senes filiae Sion; consperserunt cinere capita sua, accincti sunt cilicijs. Abiecerunt in terram capita sua virgines Ierusalem.

SEnes populi Sion qui prius ad iudicandum sedere in solijs consueuerant, dignitate iudicandi adempta, sederũt in terra, & dolore defixi tacuerunt; & veste mutata lugentiũ habitu, [illegible] dignitatis obliti, & humanae condicionis memores, consperserunt cinere capita sua: tristique illo saccino ciliciaoque cinctorio ad carnem praecincti sunt. & hi quidem vt in luctu virilem dignitatem aliqua ex parte seruarent cinerẽ capitibus imposuerunt. at virgines miserabili specie sparsis crinibus in terrã capita abiecerũt, & in puluere volutauerũt. § Sederunt in terra, conticuerunt senes filiae Sion. § Aliqui volunt his verbis id aperte dici, quod figurate dictum est in superioribus, § Defixae sunt in terra portae eius; § quia cum senes, qui in portis ciuitatis sedere soliti erant imponerent cinerem capiti suo, ipsae quodammodo portae defixae in terra videbantur. Sedere autem luctui aptius est, quam stare; vnde Esaias cap. 47. § Sede tacens, & intra in tenebras filia Chaldaeorum, quia non vocaberis vltra Domina regnorum; § aut

ſeſſio in terra deiectionẽ, & ſtatus dignitatiſq; priſtinae amiſſionem ſignificat, vt in eodem capite Eſaias, } Deſcende, ſede in puluere Virgo filia Babylon. Sede in terra, non eſt ſolium filiae Chaldaeorum. } } Accincti ſunt cilicijs; } Cilicium videtur ſaccinum fuiſſe cinctorium, ſeu περίζωμα, quo ad carnẽ accingebantur. inde ſaepe adiungitur verbum accingendi.

CAPH. L X X.

Defecerunt in lacrymis oculi mei, conturbatum eſt cor meum: effuſa eſt in terram gloria mea, ſuper contritionem filiae populi mei, cum deficeret paruulus & lactens in plateis ciuitatis.

ORIGENIS. Gloriam ſuam vocat propheta populum Dei & patriae pietatem. paruulorum porro defectionem fames efficiebat. Dici autem ſublimiori ſenſu poteſt, illum ſuorum ſecundum carnem cognatorum mala ſua putare, iuxta il-
2. Cor. 11. lud, } quis infirmatur, & ego non infirmor? } calamitates, quae illorum animis acciderunt, in ſe ſuſcipientem, ſcientiae nempe verae iam marceſcentis languorem, perturbatam rationis ad res terrenas proiectae corruptionem, gloriaeque exaltan-
Pſal. 3. tis caput priuationem, iuxta illud, } Tu autem Domine ſuſceptor meus es, gloria mea & exaltans caput meum. } } Cum deficeret paruulus & lactens. } INCERTI. Lac eſt illa ſecundum pietatem doctrina. qua inhibita, nihil mirum ſi qui illa alebantur deficiunt. } In plateis ciuitatis. } OLYMPIOD. Non enim a Gentilibus impedita pietas eſt, ſed a nothis filijs corrupti ſunt.

CAPH. V V L G A T A.

Defecerunt prae lacrymis oculi mei, conturbata ſunt viſcera mea, effuſum eſt in terra iecur meum, ſuper contritione filiae populi mei, cum deficeret paruulus & lactens in plateis oppidi.

DEFECERVNT atque conſumpti ſunt vi lacrymarum defluentium oculi mei, & interiora mea tamquam ahenũ efferueſcens & aeſtuans ex vi doloris ebullierunt, atque turbata ſunt, & lacrymis exundauerunt: quin etiam iecur ipſum, quaſi

quasi vas aliquod ab igne feruidum effudit in terram humorẽ totum, & lacrymis quodammodo felleis in terram defluentibus exhaustum est, super contritione plagaque coetus populi mei; cui confractioni medicinam nullam esse video, cum paruulos grandiusculos, & lactentes minusculos, quibus alendis vel exiguae cibi scintillae satis erant, & quorum aetas cibo saepius suppeditato indigebat, prae ciborum inopia famisque malo deficerent, & miserrime animam traherent.

§ Defecerunt prae lacrymis oculi mei. § Affectu maximo deflet malum famis, adeo vt omnia interiora sua, tamquam ollã effetuescenrem, prae doloris æstu ebullisse & conturbata esse dicat, nam verbum חמרמרו est conturbari quasi aestuãs ahenũ, ac bulliens. § Effusum est in terra iecur meũ. § iecur dixit, quod in Iob. 16. dictum est מררה. vbi LXX. transtulerunt, ἐξέχεαν εἰς τὴν γῆν τὴν χολήν μου. § effuderunt in terram fel meum. § hoc est vas & conceptaculum fellis; ex quo effusas esse tamquam felleas lacrymas per summum dolorem intelligit, ex imo iecore quasi redundantes. § Super contritione. § Contritionem appellat ex casu lapsuve aliquo, aut ex inflicta plaga confractionẽ. intelligit autem caedem populi, & famis malum. § Cum deficeret paruulus & lactens in plateis oppidi. § deficeret, quasi animã ageret, anhelaret, atque animae deliquium pateretur. quod genus mortis ex fame miserrimum est. § In plateis, § aurẽ dixit, respiciens ad consuetudinem puerorum in plateis ludentium, aut quia foris quaerebant cibum, qui domi nõ erat. vt saltem aliunde suppeditato alerentur, qui de suo nihil habebant. de quo famis incommodo dicit Ieremias prophetiae suae capite 9. § Ingressa est mors domos nostras, disperdere paruulos de foris, iuuenes de plateis. §

LAMED. L X X.

Matribus suis dixerunt: vbi est triticum & vinum? cum deficerent quasi vulnerati in plateis ciuitatis, cum effunderent animas suas in sinum matrum suarum.

OLYMPIODORI. Peccatrices animae ipsis Ecclesijs dixerunt; Vbi est mysterij libera perceptio? hæc dicunt, vt quae minime dignae mysterijs censerentur, propter admissa peccata.

peccata. § Cum deficerēt quasi vulnerati in plateis ciuitatis. § Eivsdem. Qui erant adhuc sub peccati mortisque potestate. § Cum effunderent animas suas in sinum matrum suarum. § Olympiod. Quamuis in sinu matrum continerentur, adhuc tamen fame doctrinae deficiunt.

LAMED. VVLGATA.

Matribus suis dixerunt, vbi est triticum & vinum? cum deficerent quasi vulnerati in plateis ciuitatis, cum exhalarent animas suas in sinum matrum suarum.

NAM quis sine lacrymis spectaculum illud videret, pueros iā grandiusculos non ab alienis, sed a matribus, non delicatum, & qui difficile parari posset cibum, sed triticum & vinum petentes, neque in satietate, sed cum prae fame deficerent, quasi vulnerati non ferro sed famis gladio in plateis ciuitatis; lactentes vero exhalantes animas suas in sinum matrū suarum, quibus prae inedia lac vberibus ad eos lactandos non suppetebat.

§ Matribus suis dixerunt. § Maximam famis calamitatem deplorat, eiusque lamentabilem imaginem ante oculos ponit. § Vbi est triticum & vinum? § potest haec tamquam petitio panis intelligi iuxta illud, quod cap. 4. legitur, § Paruuli petierunt panem, & non erat, qui frangeret eis, § potest etiam vox esse querentium ex illa priori tritici viniq; copia in qua educati & aliti essent, ad quantam inopiam deuenerint. quo abijt inquiunt illa rerum omnium ad victum necessariarum abundantia? memoria namque felicitatis praeteritae mali praesentis dolorem auget. § In plateis ciuitatis. § Paruulis qui iuxta Hebraicae linguae proprietatem, a ludēdo dicti sunt, apte plateae ciuitatis conueniunt. iuxta illud, quod apud hunc eundem prophetam est, cap. 9. § Ascendit mors per fenestras nostras, ingressa est domos nostras, disperdere paruulos de foris, iuuenes de plateis. §

MEM.

MEM. L X X.

Quid testificabor tibi, aut quid assimilabo tibi filia Ierusalem? quis saluabit & consolabitur te Virgo filia Sion? quoniam magnificatum est poculum contritionis tuae, quis medebitur tui?

ORIGENIS. Summam improbitatem significauit, quae nullum virtutis testimonium haberet, neque vllius delinquentis peccato similis esset. quod enim peccatum simile illius, qui longe est a Deo, & qui postea quam accessit, reluctatus abscessit? ꝫ Si enim nō venissem inquit & loquutus eis fuissem, peccatum non haberent. ꝫ ideo inquit, ꝫ & in ijs qui accedunt ad me sanctificabor. ꝫ nam, ꝫ qui nescit voluntatem Domini, & non facit illam, plagis vapulabit paucis. qui vero scit, & non facit illā, plagis vapulabit multis. ꝫ Morbus igitur adeo magnus quem prophetae curare non potuerunt, solo Deo curante indiget. Itaque Esaias contempsit prophetas, qui infirmitatem suam fatebantur, in illis verbis, ꝫ Domine quis credidit auditui nostro? ꝫ Dicebat etiam antea Ierusalem, ꝫ videte si est dolor sicut dolor meus. ꝫ idem ergo qui percussit sanabit. ipse enim dolorē efficit, & sanitati restituit: nam verbum hoc, Quis, & de eo quod rarum & de eo quod nusquam est, accipitur. neq; enim hominum quisquam curare potest plagā, quae a Deo infertur. ꝫ Quid testificabor tibi? ꝫ OLYMP. Cuiusnam boni tibi testis ero? ꝫ Aut quid assimilabo tibi filia Ierusalem? ꝫ OLYMP. Quodnam peccatum cum tuo conferam? vere enim omnia peccata superat illa ipsius Domini caedes. ꝫ Quoniam magnificatum est poculum contritionis tuae. ꝫ EIVSDEM. Vindicta peccati tui. ꝫ Quis medebitur tui? ꝫ EIVSDEM. Hoc est nemo, nisi solus Deus.

Ioan. 15.
Leuit. 10.
Lucae 12.
Esa. 53.
Lament. 1.

MEM. V V L G A T A.

Cui comparabo te, vel cui assimilabo te filia Ierusalem? cui exaequabo te & consolabor te Virgo filia Sion? magna est enim velut mare contritio tua; quis medebitur tui?

IN leuandis alterius malis caput illud est, vt afflicto remedium aliquod adhibeatur, quod ad malum illud auferendum

dum vtile sit: vbi id obtineri non potest, sequens cura est consolationem aliquam afferre; cuius adhibendae illa ratio est, exemplo aliquo casuque simili commemorato qui alteri acciderit, lenire dolorem; nam illa in ijsdem malis societas nonnihil de doloris magnitudine minuere videtur. ac primum quidem remedium praestare, quo haec tua mala corrigantur, maius est quam vt a me possit afferri. neq; vero altera ratio de simili exemplo leuandi dolorem facilis est: nam quod exemplum proferam tibi tuisq; cladibus aequale, aut simile filia congregatioq; Ierusalem? cum contritio, dolor, plagaq; tua magna sit sicut mare, quod latissimũ est, atq; profundum, adeo vt exhauriri minime possit: neq; eiusmodi est vulnus tuum, vt medela aliqua consolationis illi subueniri & coerceri queat, & tamquam orationis quibusdam linteis circumpositis alligari.

§ Magna est velut mare contritio tua. § Sicut mare quod latissimum est & coerceri nõ potest, ita dolor tuus, quae contritio & plaga cordis est, medicamentis consolationis tamquã alligaturis quibusdam adstringi cohiberiq; non potest: nam similitudo maris assumpta est, vt quod adeo magnũ sit, vt contineri includiq; non possit. LXX. vero non eandem vocem legerunt in Hebraeo, sed aliam similibus licet litteris. nam quod B. *Hie*ronymus in suo codice legit, כים, § sicut mare, § vt etiam nunc in Hebraeis codicibus legitur, hoc illi in suis legerunt, כוס calicem. itaq; transtulerunt, *ἐμεγαλύνθη τὸ ποτήριον συντριβῆς σου.* § magnum fuit poculum contritionis tuae: § figura dicendi scripturis consueta, qua mensuram paenarum a Deo irrogatarum calicis nomine significare solent. magna mensura plagarum tuarum fuit, immodice flagellata caesaque es. grandi calice diuinam iram vindictamque bibisti.

NVN. L X X.

Prophetae tui viderunt tibi vana & stultitiam, & non reuelarunt super iniquitatem tuam, ad reducendam captiuitatem tuam; & viderunt tibi assumptiones falsas & eiectiones.

ORIGENIS. Prophetia stulta illa est quae non habet exitum, & quam stulta idola comparant; & a se ipsis quidã prophe-

prophetabant scilicet pro pugillo hordei, & fragmẽto panis, vt scriptum est: qui nesciunt peccatum arguere, & a captiuitate daemonũ eripere, cum per dulces sermones animas peruertant. Atque vt veracium prophetarum assumptio & verbũ quod ex Deo accipiunt, verum est, Deoq; coniungit, sic daemonum verbum, & falsum est, & a Deo seiungit, & ab illa Dei propensione repellit. quaenam vero sunt eiectiones non falsae vt ostẽsum est, & assumptiones? illae nimirum, quae ab errore reijciunt, & ad Deum perducunt. § Et non reuelarunt super iniquitatem tuam, § OLYMPIODORI. Non indicauerunt tibi, inquit, quod verum est, vt agnoscens te iniqua facere, conuerteretis, & captiua non fieres. § Assumptiones falsas & eiectiones. § EIVSDEM. Prophetias falsas, & opiniones vanas, quae te a Deo eijciebant.

NVN. VVLGATA.

Prophetae tui viderunt tibi falsa & stulta, nec aperiebant iniquitatem tuam, vt te ad paenitentiam prouocarent; viderunt autem tibi assumptiones falsas & eiectiones.

PROPHETAE tui quorum munus erat nascentibus tuis malis medicinam adhibere, neque eousque morbos incuratos relinquere, dum insanabiles fierent; viderunt atque prophetauerunt tibi falsas stultasq; prophetias, pollicentes peccatoribus impunitatem & pacem, bonoque animo esse iubentes, secunda omnia, & pro voto illis euentura mentientes, & loquentes placentia. neque peccata tua detegebant & arguebant, paenamque illis debitam significabant, vt te a peccatis reuocarent, & ad paenitentiam conuerterent, & ad Deum, a quo auersa eras adducerent. Sed prophetias falsas & visiones mendaces tibi viderunt, & oracula quae non tam erigerent animos, quam in ruinam & interitum impellerent, teque de terra tua eijcerent.

§ Viderunt tibi falsa & stulta. § Quod in Hebraeo est תפל, id LXX. ἀφροσύνην dixerunt: pro quo B. Hieronymus transtulit, § stulta. § Hebraea vox linimentum ac tectorium significare videtur infirmum, quod facile cadit propterea quod non mistum sit cum tenaciore materia aliqua; quae luti solutilẽ na-

turam constringat,& contineat. träsfertur autem figurate ad lenia verba prophetarum significanda, quibus fauorem vulgi captabant; quae mollia blandaque erant, neque solidi quidquam, & ad continendas adstringendasque auditorum mentes habebant, sed illas defluere sinebant. de quo genere prophetarum dicit Ezechiel cap. 13. § deceperunt populum meũ dicentes,pax & non est pax: & ipse aedificabat parietem, *illi* autem liniebant cum luto absque paleis. § Ex quibus verbis discimus qualis esse verus propheta & praedicator debeat: verbaq; eius non fluxa & mollia,& placẽtia,ad audientiũ sensum,& voluptatem aurium composita,sed salsa nonnunquam esse debere,& reprehensionũ sale condita, quo fluxa auditorũ vitia,& ad putredinẽ tabescentia constringantur. Videndi autem verbum proprium est prophetarum, vnde & videntes vocabantur, quod species aliquas viderent secum loquentis personae & futura praedicentis. § Vt te ad paenitentiam prouocarent.§ In Hebraeo est,vt reducerent captiuitatem tuam: sensum vero latinus expressit.nam illa vere captiuitas est,cum peccatis ac vitijs addicti seruimus.itaq; ad hũc sensum LXX. cum veram captiuitatem atq; seruitutem esse peccata intelligerent,in Deuteronomio cap.30.quod noster interpres *dixit*, § Reducet te Dominus Deus tuus de captiuitate tua,§ illi transtulerunt, ἰάσεται κύριος τὰς ἁμαρτίας σου, sanabit Dominus peccata tua.fatuam vero illam & stultam verborum lenitatem id efficere,vt in peccatis auditores perseuerent,& a vitijs Deiq; auersione minime conuertãtur, dicit Ieremias in prophetiae suae cap.23.§ Et in prophetis Samariae vidi fatuitatem. prophetabant in Baal, & decipiebant populum meum Israel. & in prophetis Ierusalem vidi similitudinem adulterantium, & iter mendacij: & confortauerunt manus pessimorum, vt non conuerterentur vnusquisque a malitia sua. § § Viderunt autem tibi assumptiones falsas & eiectiones. § Assumptiones, prophetiae sunt,& oracula. dictae sunt autem assumptiones, quod Prophetae quasi leuarent vocem,cum eas proferrent in publicum:vnde saepe legimus assumere planctum,sumere parabolam. Aut assumptiones falsae dictae sunt, quia assumebãt nomen Domini in vano, dicentes haec dicit Dominus,cũ Dominus

Ezech.13.

Ierem.23.

minus non loquutus esset. Sed quia ambiguum verbum est in Hebraeo,& significat etiam elationem seu subleuationem; ad hanc secundam significationem respiciens propheta ex ambiguo,subiũgit,quasi per ἐπανόρθωσιν corrigens, § & eiectiones.§ hoc est impulsiones,& deiectiones. Viderunt tibi non tam assumptiones & elationes,quam impulsiones, & deiectiones;nã illis credendo impulsa es, & de tuo statu ac dignitate & loco deiecta. Sic dixit in psalmo 61. Dauid. § Verumtamen pretium meũ § hoc est dignitatem & sublimitatẽ meam § cogitauerunt repellere. § Aut eiectiones quibus de tua terra eijcereris,& in alienas oras captiua migrares. Nonnulli, § eiectiones, § interpretantur,quibus a Deo eijcereris & repellereris.

SAMECH. L X X.

Plauserunt super te manibus omnes transeuntes per viam: sibilauerunt,& mouerunt caput suum super filiam Ierusalem: haecine est vrbs dicent,corona laetitiae vniuersae terrae?

OLYMPIOD. Iuxta historiam,qui ruinas templi intuebantur,stupentes plaudunt manibus, & sibilant mouendo caput.iuxta interiorem sensum,homines impij, qui extra viã pietatis ambulant,aut etiam impuri daemones haec faciunt, laetantes de eorum casu, qui pridem virtute praediti erant. § Haecine est vrbs dicent corona laetitiae? § EIVSDEM. De templo,propter illius nomen vbique celebratum:de anima vero dicent, haecine illa est, quae virtutis nomine perfecta, & illustris dicebatur?

SAMECH. V V L G A T A.

Plauserunt super te manibus omnes transeuntes per viam; sibilauerunt, & mouerunt capita sua super filiam Ierusalem: haecine est vrbs dicentes, perfecti decoris, gaudium vniuersae terrae?

QVI per viam transibant, & tuas ruinas clademque videbant,quamuis aliud agerent,& alio properarent,tamen cum tuam magnitudinem ac nomen accepissent, & de tanta sublimitate cecidisse viderent,rei nouitate ac miraculo

L 2 commo-

commoti simul & casum tuum dolentes, & admirantes facere non potuerunt, quin complosis manibus dolorem admirationemq; testarentur; sibilauerunt etiam, & mouerunt caput ad doloris indicium; cumq; dirutae vrbis faciem lamentabilem, longeque a priori statu diuersam cernerent, vix tantam commutationem in vrbe tam nobili credibilē putantes dixerunt, haeccine est vrbs illa, omnibus rebus, quae ad decorem faciunt instructa, adeo pulchra, vt gaudium & deliciae vniuersae terrae & esset, & vocaretur?

§ Plauserunt super te manibus. § Plausus manuum & sibilus cum commotione capitis, doloris signa sunt cum admiratione coniuncti; multa sunt in scripturis exempla. sed vnum satis erit, quod est in Ieremia prophetiae suae cap. 18. § Vt fieret terra eorum in desolationem, & in sibilum sempiternum: omnis qui pertransierit per eam, obstupescet, & mouebit caput suum. § vt qui terram quondam nobilissimam in ruinis iacere conspexerint, admirētur & stupeant, & animi perculsionem gestu corporis indicent. § Perfecti decoris. § hoc nomine Ierusalem appellabant, vt psalmo 49. § Ex Sion species decoris eius: § gaudium etiam vniuersae terrae, vt psalmo 47. § fundatur exultatione vniuersae terrae mons Sion. § praecipuus autem decor eius vrbis ac decus templum ipsum erat, mirabili pulchritudine extructum, venerationis maiestatisq; diuinae plenum.

Ierem. 18.

Psal. 49.

Psal. 47.

PHE. L X X.

Aperuerunt super te os suum omnes inimici tui; sibilauerunt, & fremuerunt dentibus, & dixerunt, absorbuimus eam: certe haec est dies, quam expectabamus; inuenimus eam, vidimus.

ORIGENIS. Aduersarius enim noster diabolus circuit rugiens, quaerens quem deuoret, & tamquam serpens, in nos mittit sibilos. ceterum auertat illud Deus, ne de nobis dicat, deuoraui: neq; diem in nobis assequatur, quem sol vrēs efficit. dictum est enim § per diem sol non vret te, § libidine namque atque ira comburit, erroremque nobis quasi lucem & scientiam exhibet. psallentes igitur dicemus, § Nisi quia Dominus.

1. Petri 5.

Psal. 120.

Psal. 123.

minus erat in nobis, forte viuos deglutissent nos; § & illud, § Lucerna vero impiorum extinguetur. § § Sibilauerunt. § Prouer. 13.
OLYMPIOD. More serpentum aggressi sunt: Sibilus enim serpentum est. § Certe haec est dies, quā expectabamus. § EIVSDEM. Illa ex peccatis perturbatio atque confusio. expectabatur autem praedicente Deo, & peccatoribus comminante.

PHE. VVLGATA.

Aperuerunt super te os suum omnes inimici tui; sibilauerunt, & fremuerunt dentibus suis, & dixerunt, deuorauimus: En ista est dies quam expectabamus, inuenimus, vidimus.

TAMQVAM ferae belluae deuorare cupientes aperuerūt super te os suum omnes inimici tui, & quasi serpentes & dracones sibilauerunt, tamquam rapaces leones fremuerūt dentibus. neque vero voluntatem solam perdendi te habuerunt, sed quod cupiebant etiam perfecerunt, & sui desiderij se compotes factos esse gloriati sunt.

§ Aperuerunt super te os suum. § Nonnulli sic accipiunt, gloriati sunt aduersus te, tibi insultantes, te contemnentes, & de se magnifica iactantes. Sed aperire os super aliquem illo potius modo in scriptura reperitur, vt ferae belluae deuorare cupientis significationem referat, vt psalmo 21. § Aperuerunt super me os suum, sicut leo rapiens, & rugiens. § & verba quae sequuntur id satis ostendunt, § dixerunt, deuorauimus. § Hanc eandem dicendi figuram de hac re eadem loquens in prophetia sua Ieremias tenuit, cap. 51. § Comedit me, deuorauit me Nabuchodonosor Rex Babylonis, reddidit me quasi vas inane, absorbuit me quasi draco, impleuit ventrem suum teneritudine mea. § § Inuenimus, vidimus. § Iuuenire in scripturis significare solet consequi, compotem alicuius rei fieri, vt Prouerb. cap. 17. § Eruditus in verbo inueniet bona. § & 19. § Custos prudentiae inueniet bona. § Idem fere est, videre, vt illud in psalmo 33. § Quis est homo, qui vult vitam, diligit dies videre bonos?

Psal. 21. Ierem. 51. Prouer. 17. Prouer. 19. Psal. 33.

AIN.

AIN. L X X.

Fecit Dominus, quae cogitauit, compleuit verbum suum quae praeceperat a diebus antiquis: destruxit & non pepercit, & laetificauit super te inimicum, exaltauit cornu tribulantium te.

ORIGENIS. Nihil inquit ex se fecerunt hostes: Deo namque visum est ac factum. Itaq; etiam Nabuzardan dixit, § Dominus Deus tuus loquutus est mala haec aduersus locum hũc, & adduxit Dominus quia peccastis ipsi. § quisquis ergo non credit iudicium, haec verba auditurus est. Omnes ergo prophetae haec praedicebant. a diebus etiã antiquis Moyses in Deuteronomio ista; praenuntiauit. § Fecit Dominus quae cogitauit. § OLYMPIOD. Iuste iudicauit. § Compleuit sermonem suum. § EIVSDEM. Ad finem perduxit antiqua sua iudicia, in peccatis minime silendo. quamuis etiam per Moysen contestatus sit Israelitis.

Ierem. 40.

AIN. V V L G A T A.

Fecit Dominus quae cogitauit, compleuit sermonem suum quem praeceperat a diebus antiquis; destruxit & non pepercit, & laetificauit super te inimicum, & exaltauit cornu inimicorum tuorum.

QVAE longe ante in secreto prouidentiae suae cogitauerat Deus, & priscis patrum nostrorum temporibus ad deterrendos a sceleribus animos minatus per Moysen, atq; Prophetas suos fuerat, fore vt si non seruarent filij Israel eius praecepta & testimonia, grauissimas de illis paenas sumeret; posteaquam illi patientia illius, atque sustinentia longi temporis abusi sunt, cum nulla esset conuersio, & diuitias bonitatis eius & patientiae & longanimitatis contemnerẽt, tandem fecit & re ipsa exhibuit, vt se facturum esse praedixerat: & firmissima illa ac speciosissima non murorum tãtum ac turrium, sed etiam hominum aedificia destruxit, ac dissipauit, adeo vt non lapides modo euersis muris, sed cognationes etiam & familiae quae sanguinis ac generis inter se coniunctione deuinctae ac structae quodammodo erant, vel dispergerentur per captiui-

captiuitatem, vel caedibus dirutae iacerent; neque aut aetati aut pulchritudini pepercit, sed inimicis tuis de tuo excidio laetitiam attulit; & cornu vires potentiam hostium tuorum exaltauit, vel vt vincerent, & tamquam belluae te cornu ferirent, vel vt de suis viribus atq; victoria gloriarentur, quae res tibi iam victae dolorem augeret, cum hostis etiã contra victã iacentem q; inimicam, & humi prostratã insultans erigeretur. § Compleuit sermonem suum, quem praeceperat a diebus antiquis. § Leuitici caput 16. paene totum eiusmodi comminationibus plenum est, Deuteronomij item caput 28. & in cantico Moysi multa sunt eodem pertinentia, vt illa, § Ignis succensus est in furore meo, § & quae sequuntur. notandumque est, quanta sit Dei ad vlciscendum patientia; prius cogitasse illum dicit, deinde comminatum esse per Moysen, & prophetas, postremo fecisse quod cogitarat, & comminatus fuerat: lento namque gradu ad vindictam Deus progreditur, dans locum paenitentiae. § quem praeceperat § autem dixit, cum dicendum potius fuisse videatur, quem comminatus fuerat. Sed praeceperat idem valet quod mandauerat, legauerat, missis a se prophetis vt edicerent iusserat. § Destruxit & non pepercit. § Destruere de muris & aedificijs dicitur; Aut igitur de templi & moenium ac turrium destructione loquitur, aut hominum, quorum cognatio & successio ac familiae sic coniunctae sunt, vt in aedificio lapides. Itaq; generis dilatatio apud Hebraeos aedificatio dicitur. Vnde illa loquendi forma in sacris litteris, § aedificauit obstetricibus domos, § & de Lia & Rachel in libro Ruth, § quae aedificauerunt domum Israel. §

Deut. 32.

Exod. 1.

Ruth 4.

TSADE. L X X.

Clamauit cor eorum ad Dominum: muri Sion deducite quasi torrentes lacrymas per diem, & noctem: non des requiem seu euigilationem tibi; neque taceat pupilla oculorum tuorum.

ORIGENIS. Nonnunquam scriptura sermones affectibus plenos fingit, & sensu carentibus tribuit sensum. exilientes itaque colles inducit, & montes exultantes, & colles ac lapides testes aduocat, quod in hoc loco non potest, cũ Psal. 113.

ab ho-

ab hostibus murus destructus esset. Murus igitur hoc loco Rex est & principes, & quicunque ciuitatem viribus muniebant: quos orat, vt iuges paenitentiae lacrymas fundant. quas lacrymas murus collapsus intuentibus iugiter conciliat, hae inquit ipsius muri sunt. Vide autem ne rursus maerorem illum quondam eam custodientis virtutis indicet, per hyperbolen id significans. In tribulatione vero inquit recordati sunt Domini ex toto corde. Hoc igitur facite inquit, nocte dieque lacrymas fundite, & in cubilibus vestris compungimini: neque cessationem a lacrymis, euigilationem putetis: nam paenitentia ad salutem est: at vero is euigilat, nō qui a bonis, sed qui a malis cessat. Animo vero semper cum Christo coniungere, vt te tamquam pupillam oculi custodiat, & tibi pro muro sit.

Supra hoc eodem capite littera Heth.

TSADE. VVLGATA.

Clamauit cor eorum ad Dominum super muros filiae Sion. Deduc quasi torrentem lacrymas per diem & noctem, non des requiem tibi, neque taceat pupilla oculi tui.

PRAE dolore atq; afflictione cordis clamauerunt ad Dominum ciues Ierusalem, cum muros illius vrbis dirutos & euersos viderent; o filia congregatioque ciuitatis Sion iugiter die noctuque lacrymas mitte non exiguas, sed torrentis modo profluentes: neque defatigata a fletu cesses & quiescas a lacrymis, sed illas tamquam semper ad dolorem recens instaura, neque vmquam eas intermittat pupilla, quae intima est pars oculi tui.

{Clamauit cor eorum ad Dominū.} quasi non leuiter & perfunctorie, sed maximo & intentissimo studio; ex intima parte corporis intimū animi affectum, vel dolorem intelligens. Qui autem clamarint, vel quorum cor clamarit, nō expressum est: ideoque nonnulli etiam ex Hebraeis intelligunt hostes Sion & Ierusalem clamasse aduersus Dominum, impotentiam illi & infirmitatem obijcientes, quasi deditam sibi ciuitatem ab illorum armis vindicare nequiuerit: sed haec expositio nisi fallor cum latina versione cohaerere non potest; aliud enim est ad Dominum clamare, aliud aduersus Dominū: cogimur itaq;

clamorem

clamorem hunc in Iudaeis ipsis intelligere, qui ex intimo dolore cordis ad Dominum clamauerint, eiusque opem & auxilium implorarint. § Deduc quasi torrentem lacrymas. § Et in Hebraico textu & in graeco haec verba ad murum diriguntur, quasi sentientem; mure inquit filiae Sion, deduc quasi torrentem lacrymas; nam quia ipsi pro praesentis mali magnitudine digne flere non possumus, tu cui ne fatigeris flendo periculum non est, assidue lacrymas funde. In latina vero editione ad filiam Sion sermo conuertitur, quam iugiter flere, & a lacrymis non desistere iubet. quam sententiam verba quae sequuntur confirmare vidētur, quae sine dubio ad filiam Sion diriguntur.

COPH. L X X.

Surge exercere in nocte, in principijs vigiliae tuae: effunde sicut aquam cor tuum, ante faciem Domini: leua ad eum manus tuas pro anima paruulorum tuorum, qui dissoluuntur fame in principio omnium compitorum.

Origenes legit ἀδολέσχησον. quod latinus psalmorum interpres solet vertere, exercere.

ORIGENIS. Ad attentionem animaduersionemque nox apta est, cū in se conuertatur anima sensibus quiescentibus. Tum iubet meditari in mandatis Dei, & dicere cum Dauid, § nocte cum corde meo exercitabar, & scopebat spiritus meus. § Cum vero nox in quatuor vigilias diuisa sit, dic cum Dauid, § Anticipauerunt vigilias oculi mei: § & cum Abacuc, § in vigilia mea stabo, & prospiciam, quid loquatur in me Dominus Deus. § tunc namque dices, § loquetur pacem in plebē suam. § Exercere igitur in nocte praesentis saeculi; non enim est tibi colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principes & potestates, § nescis enim quādo Dominus domus veniat, sero an media nocte, an galli cantu, an mane; ne cum venerit repente inueniat vos dormientes: § ac rursum. Nam si scires qua vigilia fur veniret, vigilares vtique, & non sineres perfodi domum tuam. OLYMPIOD. Excitare inquit, & tecum ipsa inquirens intellige, & praeoccupa principia vigiliae, hoc est ipsas iustificationes: idest exequere iustificationes, & placa Dominum. In nocte vero, propter hostium incursum inquit. § Effunde sicut aquam cor tuum. § OLYMPIOD.

Psal. 76. Psal. 76. Abacuc 2. Psal. 84. Ephes. 6. Marci 13. Lucae 12.

Magis magisque animi tui erga Deum alacritatem intende. § Qui dissoluuntur fame in principio omnium compitorum. § EIVSDEM. Qui dissoluuntur in principio cuiusque virtutis. Veluti, incepit aliquis verbi gratia eleemosynas facere: non habuit hortatorem atque doctorem; ibidem stetit & dissolutus est. Alius continens esse coepit,& deinceps.nam progressione virtutis interrupta,in quo sunt ibi remanent, aut etiam regrediuntur fame dissoluti. § Leua ad eum manus tuas. § ORIGENIS. Per bonorum operum executionem:non exigua de re agitur, cum per inopiam diuini verbi paruuli tui deficiant, & stent in principio omnium platearum mandatorum Dei, neque progredi possint sine Dei cooperatione,& sine pane illo qui cor confirmat.

CÓPH. VVLGATA.

Consurge lauda in nocte in principio vigiliarum; effunde sicut aquam cor tuum ante conspectum Domini: leua ad eum manus tuas pro anima paruulorum tuorum, qui defecerunt in fame in capite omnium compitorum.

CONSVRGE filia Sion,non negligenter ac remisse,sed celeriter nulla mora interposita, & dolor intimus negligentiae somnum excutiat: & Deo laudes cum precibus defer:& siquod a te peccatũ est, vnde quod petis indigna sis accipere,parentum laudes ac merita commemora, quorum recte facta magis ad Dei placationem obtinendam valeant, quã tua male facta ad iram illius producendam; idque de nocte, quum quieta sunt omnia, nec obstrepit quicquam:ne te tantum sopor opprimat,quin dolor exuscitet. neq; vero id semel tantum in nocte fecisse sufficiat,per singulas vigilias id facito; neque ad extremum vigiliarum aut noctis,sed in principio:vt non custodes ipsa cautio diligentiores faciat, quam te dolor. & cor tuum cordisque secretas & intimas curas prae doloris magnitudine & afflictione intima per gemitus & lacrymas velut conditam in vase aquam in oculis Domini effunde, & leua ad eum puras manus in oratione cor attollens, aut preces quasi munus quoddam Deo gratissimum deferens:pro anima paruulorum tuorum,qui sensim producta morte prae fa-

mis

mis incommodo defecerunt; quorũ aetas quanto famis impatientior erat, & pauciora vitae subsidia requirebat, tãto miserabilius, nc id quidẽ inuenire poterat, quo mortẽ depelleret: itaq; in capite omniũ compitorum, in quibus antea pro aetatis illius cõsuetudine ludẽtes discurrebãt, nũc fame tabefacti defecerunt, cum cibũ foris quaererent, qui domi nullus erat. § Lauda in nocte. § Laus nonnunquam pro oratione sumitur ac prece, vt in prophetiae suae hic idem propheta cap. 7. § Tu Ierem. 7.
ergo noli orare pro populo hoc, nec assumas pro eis laudem & orationem, nec obsistas mihi, quia nõ exaudiam te. § & fortasse ideo laus vocantur preces, quia in eis laus Dei coniuncta erat, aut praeclata maiorum facta commemorabãtur, qui cum pie vixissent, Deumque perfecte coluissent, illorum pietati & iustitiae vt condonaret Deus posterorum peccata postulabant. ideoque quod beatus Hieronymus dixit, § nec assu- Ierem. 7.
mas pro eis laudem § LXX. trãstulerunt, καὶ μὴ ἀξίου τοῦ ἐλεηθῆναι αὐτοὺς, ne tamquam rem aequam postules vt eorum miserear, quia nempe filij sint Abraam, Isaac & Iacob, quibus pollicitus sum multiplicaturum eorum semen; quia e populo sint, quem mihi elegerim, propter quos signa atque portenta multa magnaque ediderim, quos de Aegypto in manu valida eduxerim, in deserto deduxerim & aluerim, ante quos fortissimas gentes strauerim. hae laudes sunt eius propter quas dignum est ijs veniam concedi, pro quibus tam multa tamque magna miracula fecerit. § In principio vigiliarum. § Non sic intelligendum puto, ac si dictum esset in prima vigilia, non in alijs vigilijs; sed in cuiusque vigiliae principio. quod declararunt LXX. qui vertterũt, εἰς ἀρχὰς φυλακῆς σου, § in principijs vigiliae tuae. § Quaternas autem vigilias in singulas noctes fieri solitas dicunt, vnde in beati Matthaei Euangelio, quarta vigilia noctis legimus Iesum Dominnm nostrum supra mare ambu- Matth. 14.
lantem ad iactatos procellis discipulos peruenisse; & in beati Marci Euangelio vigilare nos praecipit Dominus, cũ nesciamus quando dominus domus veniat, sero an media nocte, an Marci 13.
galli cantu, an mane. Hebraei porro tres esse vigilias putant, quibus fauere videtur Euangelium beati Lucae, § & si venerit in secunda vigilia & si in tertia vigilia venerit, & ita inue- Lucae 12.

nerit, beati sunt serui illi. ¿ necnon aliquantisper locus ille de libro Iudicum, capite septimo, in quo legimus vigiliam noctis
Iudic.cap.7 mediam vt in Hebraico est. ceterum etsi dissentire videantur euangelistae, cum Matthaeus & Marcus, quattuor vigilias numerent, Lucas vero tres, ita illorum dissensio conciliari facile poterit, si intellexerimus sero quod dicit beatus Matthaeus inter vigilias a beato Luca nō computari, quod potius ad extremam diei partem pertinere videatur. ¿Effunde sicut aquā cor tuum. ¿ Quid sit cor effundere sicut aquam, variae sunt sententiae. nonnulli ad cordis deuotionem trahunt, quia cordis duritia per amorem ac deuotionem liquescere videatur. Alij paenitentiam & humiliationem cordis his verbis significari dicunt. Alij munditiam & ablutionem a malis factis. ego puto effundere cor sicut aquam illum qui intimas cordis cogitationes per suspiria Deo reuelat, & quasi qui e vase profundit aquam, sic animi secreta gemitu magis & lacrymis, quam verbis prodit; sicut Anna dicit Regum primo, ¿Effudi animā
1.Reg.1. meam in conspectu Domini. ¿ In eius vero rei signum oraturi in tribulatione aliqua aquas effundebant, vt legitur primo Regum septimo. ¿ Et conuenerunt in Maspha, hauseruntq; aquā,
1.Reg.7. & effuderunt in conspectu Domini, & ieiunauerunt in die illa. ¿ quem locum Ionathas sic interpretatus est, & effuderunt cor eorum in paenitentia, tamquam aquam corā Domino. In
1.Maccab.3 primo vero Maccabaeorum capite tertio auctor eius libri cū ad hunc locum primi Regum respiceret, & quasi transferret, ¿ Congregati sunt inquit & venerunt in Maspha contra Ierusalem, quia locus orationis erat in Maspha ante in Israel. ¿ videtur ergo effundere cor sicut aquam orationem significare abdita cordis Deo reuelantem, iuxta illud, ¿ Reuela Domino
Psal.36. viam tuam & spera in eo. ¿ ¿ Leua ad eum manus tuas. ¿ Hic habitus erat orantium, quem etiam Apostolus indicauit. ¿ Vo
1.Tim.2. lo viros in omni loco orare leuantes puras manus; ¿ neq; apud Hebraeos solum, verum etiam apud Gentiles. inde Homerus
Iliad.2. Διὶ χεῖρας ἀνασχών. Hac autem specie testabantur, vel orationem tamquā munus Deo iucūdissimum offerre, vel cor perinde atque donum attollere, quemadmodum in huius libri capite tertio scriptum est, ¿ Leuemus corda nostra cum manibus

bus

bus ad Dominum in caelis. ⸗ Qui mos leũandi manus in oratione ab Ecclesia quoque retentus est; in mysteriorum namque celebratione sacerdos dum orat, attollit manus. ⸗ Qui defecerunt in fame. ⸗ Defectus hic significat animae deliquium cum producitur mors, & frequenti tractu ac gemitu agitur anima.

RECHS. L X X.

Vide Domine & considera quem vindemiaueris ita. si comedent mulieres fructum ventris sui? vindemiam fecit coquus; occidentur paruuli sugentes vbera. Si occides in sanctuario Domini sacerdotem & Prophetam?

ORIGENIS. Propheta monente, Ierusalem persuasa est; & dicit ad Deum, ne auertas faciem tuam a me, respice in me, & miserere mei: ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me. maior est plaga, quam pro humana natura: scio me legem tuam violasse, & illius violatae esse poenis obnoxiam, inter quas illa est, ⸗ Comedes filios ventris tui, carnes filiorum tuorum & filiarum tuarum⸗ putabam vltra minas illa verba non progredi. Cognoui Domine quod lex tua veritas: sed sacerdotis & Prophetae caedem inter haec non audiui. ⸗ Si comedent mulieres fructum ventris sui? ⸗ OLYMPIOD. Praeter ea quae iuxta historiam acciderunt, intelligere etiam possumus illas aduersus filios suos Ecclesiarum incitationes. ⸗ Vindemiam fecit coquus. ⸗ OLYMPIOD. Dixerat Dominus non fuisse talem tribulationem, neque futuram. ⸗ Occidentur paruuli sugentes vbera. ⸗ OLYMPIOD. Assati sunt aut etiam elixi filij, quos in obsidione comederunt. Ad interiorem vero sensum, ille qui ab initio occidere cogitauit, praecipuas ac vitales virtutum partes, quae sunt medullae, irae subiecit.

Deut. 28.

Matth. 24.

RECHS. V V L G A T A.

Vide Domine & considera, quem vindemiaueris ita. ergo ne comedent mulieres fructum suum, paruulos ad mensuram palmae? Si occiditur in Sanctuario Domini sacerdos, & Propheta?

SI vmquam vltione iam reddita reuocasti, atque cohibuisti iram tuam, nunc certe aequũ est, vt illam a nobis auertas,

tas,postea quam satis indignatio tua desaeuijt. nam recordare Domine obsecro, & considera, quam nam gentem tam atrociter vindicaris, & ad auari vindemiatoris exemplum deuindemiaris, vt non modo grandiores botros quales maiores natu erant, sed etiam latentes exiguosque racemos, quales pueri erant, exciderls. Ergo ne vmquam fando auditum est *mulieres*, qui sexus est ad misericordiam mollior, & quod maius est matres, quibus nihil est neque ad pietatem propensius, neque ad indulgentiam pronius, adeo efferatas esse famis rabie, vt paruulos quos ad vbera nutriebāt, tantillos vt vix palmum excederent, discerperent ac laniarent, & in suum cibum verterent? An vmquam auditum est in sanctuario Domini, quo tamquam ad Asylum inuiolatum confugientibus parci solebat etiam sontibus, ibi innocentes occisos, immo vero ipsos quoque sacerdotes, ac prophetas, quos vel aspectu violare impium imprimis erat, caesos & interfectos?

§ Paruulos ad mensuram palmae. § LXX. non טפחים vt hodie in Hebraicis libris est, & vt legit beatus Hieronymus, sed טבחים legerunt, quod nomen *μάγειρον*, seu lanium, seu coquū, significat: ideoque transtulerunt, ἐπιφυλλίδα ἐποίησε μάγειρος, § racemum fecit coquus. § quod mihi praeclare dixisse videatur, vt a Nabuzardan coquorum principe vt scriptura refert, saepius illum populum racematum & reuindemiatum esse figurate & ex obliquo significarent. quos vero beatus Hieronymus dixit, § Paruulos ad mensuram palmae, § Hebraei lactentes interpretantur, aut fascijs inuolutos, aut qui in palmis maternis educantur. quamobrem in Graeca editione altera interpretatio adiecta mistaque est φονευθήσονται νήπια θηλάζοντα μαστούς, § interficientur infantes sugentes vbera. § quae duae eorundem verborum interpretationes ita mistae, confusaeq; sunt, vt obscuritatem faciant legenti, demptis iam asteriscis, qui prius erant. quod in LXX. editione saepissime contingit.

§ Sacerdos & Propheta. § verisimile est sacerdotem aliquem & prophetam, aut plures etiam irruptione hostium in vrbem ad sanctuarium confugisse, ibique a furente victore occisos, quam caedem hoc loco commemorat. Hebraei nonnulli de

2.Par.24. Zaccharia filio Ioiade dictum putant, qui a populo lapidatus est. vt

est. vt querelae illi de pueris ad mensuram palmae laniatis, tamquam obijciatur ac referatur ex aduerso caedes illa Zachariae sacerdotis ac prophetae impijssima. quid conquereris de pueris a matribus occisis, & in escam sumptis, cum tu iampridem sanctum virum, eundemque sacerdotem & prophetā quod te de tuis peccatis argueret, in ipso tēplo interfeceris? Alij putant Zachariam quidem significari in his verbis, sed illum filium Addo prophetam, qui in templo sit occisus. quod in die propitiationis populum reprehenderit, quod quia nullo scripturae testimonio confirmant, vt leuiter dicitur, sic facile reijcitur.

CHSEN. L X X.

Dormierunt in terra platearum paruulus & senex: Virgines meae & iuuenes mei abierunt in captiuitatem: in gladio & in fame occidisti in die irae tuae, mactasti, non pepercisti.

ORIGENIS. Abiecti erant in terra omnes, qui per aetatem ad labores impotentes erant. miserabile sane spectaculum, similiter atque iuuenum & virginum caedes. vtinā & horum caedes fuisset, antequam ad acerbiorem vitam abducerentur. Plateae vero terrae saecularia sunt negotia, in quibus dormierunt, quod non vigilarent, neq; orarent, oculis animi ad peccatū atque stultitiam clausis. & quinam ij erant? siquidem non nisi paruuli fuissent, minus id mirum, nunc vero qui ante hos virtute praestare videbantur. & quicunque animo integro, & incorrupto, & fortes in bello erant, in hostium potestatem venerunt. sed tu tamquam bonus talem eorum vitam compesce, & illorum in malum consensum atque conspirationem disiunge. § Virgines meae, & iuuenes mei abierunt in captiuitatem. § OLYMPIODORI. Et qui in incorruptione, & qui in fortitudine viuebant, inquit, in peccati potestatem pertracti sunt. § In gladio. § EIVSDEM. In ipsius hostis potestate. § Et in fame. § EIVSDEM. Inopia verbi Domini.

CHSEN. VVLGATA.

Iacuerunt in terra foris puer & senex: Virgines meae & iuuenes mei ceciderunt in gladio: interfecisti in die furoris tui, percussisti, nec misertus es.

NEQVE aetatis neque sexus vlla ratio habita est, sed simul puer & senex iacuerunt in terram prostrati, non domi, sed tamquam ignobilia cadauera foris & in plateis, inedia mortui; virgines vero, ac iuuenes gladio occisi; neq; vllum in cae de discrimen seruatum est, cum iram vltionemque in omnes sine vllo discrimine exerceres, & perinde ac si oues escarum ad hoc ipsum seruatae mactarentur, sic interfecisti nec misertus es.

§ Iacuerunt; § iacendi verbum neglectum quendam despectionemq; notat, quasi temere sine vlla cura prostrati. § Percussisti. § טבח verbum proprie ad lanios pertinet; tamquam oues & boues sine vllo respectu laniares, & caederes. inde LXX. transtulerunt ἐμαγείρευσας laniasti.

THAV. LXX.

Vocasti tamquam in diem solennitatis paroecias meas in circuitu, & non fuit in die irae Domini, qui effugeret saluus, & qui relinqueretur. sicut confirmaui & multiplicaui omnes inimicos meos.

ORIGENIS. Qui circa me per Iuda regiones habitabant, festum quo ad me concurrebatur perfugium putabant, inde salutem sperantes. e quibus nemo relictus est, ira tua in illos illata. nam peccatis suis facientibus, & multi & potentes facti sunt hostes. § Et non fuit in die irae Domini qui effugeret. § OLYMPIOD. Nisi enim quis in perfectum peccatum incidat, seuerae irae non traditur. § Sicut confirmaui & multiplicaui omnes inimicos meos. § OLYMPIOD. Ad litteram quidem inquit, cum in peccato confirmata essem, effeci vt aduersus me multitudinem hostium induceres: ad interiorem sensum, vapulaui inquit & multiplicaui mores inimicos.

THAV.

THAV. VVLGATA.

Vocasti quasi ad diem solennem, qui terrerent me de circuitu, & non fuit in die furoris Domini, qui effugeret & relinqueretur. quos educaui & enutriui, inimicus meus consumpsit eos.

VOCASTI tamquam ad diem festum, denuntiasti atque condixisti statum, certumque tempus, tamquam solennitatem, ad quod conuenirent non qui adoraturi essent ac festum diem celebraturi, sed hostes mei, qui me de circuitu terrerent & obsidione cingerent: neq; vllus e meis ciuibus fuit, qui manus hostium aut effugeret, aut reliquus fieret, nam omnes aut occisi, aut captiui facti sunt: pueros quos maxima cura in manibus tenui, & ad vbera admotos educaui, & enutriui atque ad magnitudinem iustam perduxi, inimicus hostisq; meus partim fame, partim gladio consumpsit.

§ Vocasti. § apte hoc verbo vsus est. nam quicquid boni malive accidit, illius nutu atque imperio, quasi vocatum venit. sic de fame dixit Dauid psalmo 104. § & vocauit famem super terram. § Psal. 104. § Qui terrerent me de circuitu. § Hostes hac circumlocutione indicat vndique obsidentes, aut vndique conuenientes, quasi ad statum condictumque tempus, vt in prophetia huius ipsius prophetae scriptum est, § Ecce ego conuoco omnes Ierem. 1. nationes regnorum Aquilonis dicit Dominus. § LXX. transtulerunt, παροικίας μου κυκλόθεν. § paroecias meas vndique. § paroeciae autem, vel inimicarum gentium intelligi possunt, quales Idumaei erant, Moabitae & Ammonitae Iudaeis semper infensi; vel Israelitarum circa Ierusalem habitantium, qui cum ex agris ac villis & oppidis in praecipuam ciuitatem hostis metu confugissent atque conuenissent, omnes pariter obsessi, occisi aut capti sunt, ne vno quidem relicto. § Quos educaui. § educatio proprie hoc loco ad infantes pertinet, quos mater in manibus tenens lacte nutrit, ac fouet. LXX. dixerũt, οὓς ἐπεκράτησα, § quos continui, § scilicet vel palmis ac manibus, vel fascijs adstringendo. § Et enutriui. § ad incrementum magnitudinemque perduxi. LXX. ἐπλήθυνα, quos impleui.

THRENORVM IEREMIAE IVXTA LXX.

CAPVT III.

ALEPH.

Ego vir ille videns paupertatem in virga furoris eius super me. Accepit me & abduxit me in tenebras & non lucem. Tantum in me conuertit manum suam tota die.



RIGENIS. Graues casus prophetae acciderunt & antequam ciuitas caperetur, & posteaquam capta est. ideo ordinem alium elementorum incipiens seipsum luget, paupertatem vidẽs & solitudinem ciuitatis propter correptionem Domini, & se nihilominus ad bonorum inopiam redactum cum simul in discrimen venisset dum hos arguit, eousq; vt diceret assidue mihi subsannant tota die; simul communibus asperorum casuum calamitatibus inuolueretur, & ex commiseratione doleret. dicit etiã iuxta illud Dauidicum, § vmbra mortis obumbrauit me. § si quando enim videtur paululum a molestijs inferendis inducias fecisse, denuo recurrit, poenasq; continuat. § In virga furoris eius super me. § OLYMPIOD. Ex persona Domini iuxta illud quod dictum est, § Super me confirmatus est furor tuus. § Ex persona vero Prophetae, Aduersarius ille Diabolus, inquit, virga furoris sui in me vsus est, ad peccatum conuertendo. Vnde etiam accipiens me, abduxit in tenebras & non in lucem. Haec autem a communi hominum natura profert. § Tantum in me conuertit manum suã tota die. § OLYMPIOD. Non satis inimico fuit abduxisse me in tenebras; sed etiam poenas irrogauit: illud vero, § tota die, § pro eo est ac si diceret, per omne tempus quo sub illius potestate fui. EIVSDEM. Tota die hoc est per dies singulos, vt apud Dauid, § Tota die impugnans tribulauit me. § Illud vero, § Conuertit manum suam, § hoc etiam significare poterit, olim cum mihi bona conferre consueuisset, nunc quasi manu conuersa flagella & castigationes adhibet.

Ierem. 20. Psal. 43. Psal. 54. Psal. 87. Psal. 55.

ALEPH.

ALEPH. VVLGATA.

Ego vir videns paupertatem meam in virga indignationis eius.

CVM multi Prophetae mala gentis suae longo post tempore futura praedixerint, Ego inter ceteros vir ille sum, cui non prophetare aut prophetantes audire tantummodo contigit, sed etiam uidere & reipsa experiri afflictionem & vincula mea, quibus adeo cõstringor vt mihi opem ferre non possim; idq; in virga non correptionis Dei quũ modice flagellat, sed indignationis eius, quum non tam peccata a pio patre corriguntur, quam vindicta & iusta peccatorũ poena ab irato iudice exigitur.

§ Ego vir videns. § Hoc caput fere ad Ieremiae personam pertinere, in eoque de suis calamitatibus prophetam conqueri ac lamentationem scribere putat Eusebius & ante illum Origenes. Sed si velimus exquirere quid LXX. senserint, non illi putarunt totum ad personam Ieremiae esse referendum, sed partim ad ciuitatem ipsam, partim ad quemlibet ipsius ciuitatis hominem aerumnas malaque sua deplorantem, non nihil fortasse etiam de se prophetam dixisse existimauerunt: ac de ciuitate illud de quarto versu proculdubio intellexerunt, non ipsi solum LXX. sed etiam beatus Hieronymus, § Vias meas subuertit & confregit me, posuit me desolatam: § quae verba quamuis in Hebraeo possint ad Ieremiam vel ad quemuis de populo Iudaeorum referri, cum masculino genere verbum sit שמם, tamen LXX. & beatus Hieronymus de ciuitate Ierusalem acceperunt, cum & illi & hic femineo genere transtulerint; illi ἔθετό με ἠφανισμένην, hic, § posuit me desolatam. § Quamobrem pleraque illa quidem in Ieremiae personam cadunt, vt illa versu quinto, § factus sum in derisum omni populo meo, canticum eorum tota die. § nonnulla tamen ex persona totius ciuitatis dici putandum est, vt § formido & laqueus facta est nobis vaticinatio & contritio. § praesens certe versus optime in Ieremiam quadrat eo modo quo expositum est. conuenit etiam in quemque Iudaeum in captiuitatem ductum, ac deplorantem non se minas tãtummodo prophetarum pec-

catoribus supplicia denuntiantium audisse, sed etiam poenas ipsas expertum esse. nonnulli proprie ad Sedeciam regem pertinere dicunt, qui erutis oculis in Babylonem ductus, & in carcerem coniectus est, vbi vsque ad diem mortis suae inclusus mansit, quod illis verbis significari volunt, ❴ Me minauit, & adduxit in tenebras, & non in lucem. ❵ ❴ Paupertatem meã. ❵ Paupertas seu mendicitas afflictio ipsa vocatur, & illa praecipue cum quispiam vinculis adstrictus affligitur, ita vt sibi auxilium ferre non possit. sic dictum est in psalmo 126. ❴ vinctos in mendicitate & ferro, quia exacerbauerunt eloquia Dei, ❵ vbi vincula arctissima significantur, & ferrea.

Ierem. 51. Psal. 126.

ALEPH.

Me minauit & adduxit in tenebras & non lucem.

Neque vero me tantummodo funibus paupertatis vinxit Deus, sed etiam sic vinctum tamquam pecus in tenebras captiuitatis virga sua coegit, & de meis sedibus discedere & in locum pergere quem nesciebam compulit.

Ierem. 38. ❴ Me minauit. ❵ Si de Ieremia accipiantur haec verba, de carcere illius & lacu intelligenda sunt, in quem per vim coniectus est. si de quolibet captiuo, tenebrae locus captiuitatis quo tamquam abactum pecus ductus est, accipiendae videntur, nam etiam hac figura dicendi vtitur Isaias ad eos qui captiui ducebantur significandos, cap. 20. ❴ Sicut ambulauit seruus meus Isaias nudus & discalceatus &c. sic minabit rex Assyriorum captiuitatem Aegypti & transmigrationem Aethiopiae. ❵

Isa. 20.

ALEPH.

Tantum in me vertit & conuertit manum suam tota die.

Flagellis autem adeo frequentibus cecidit, vt assidue sine vlla requie manum suam iterando verbera verterit, ac denuo repetens conuerterit, perinde ac si nullũ aliud opus haberet nisi vt me flagellaret, & in hanc rem tantum incumberet, hoc vnum negotium haberet.

BETH. L X X.

Vetustam fecit carnem meam & pellem meam, ossa mea contriuit. Aedificauit supra me, & circumdedit caput meum, & laborare fecit. In tenebrosis collocauit me quasi mortuos saeculi.

ORIGENIS. Debilitatem significat quae nobis ex peccato contigit. EIVSDEM. nam assidua aerumna senilem in nobis infirmitatem efficit. § Aedificauit supra me. § EIVSDEM. Non enim permisit me vndique obsessum calamitates effugere. fortasse autem etiam circumpositum vrbi murum hostilem dicit. § In tenebrosis collocauit me quasi mortuos saeculi. § Eandem quam Dauid vocem emisit, qui dixit, § Collocauit me in obscuris quasi mortuos saeculi: § idque tũ propter carceres in quibus constricti sunt ab hostibus, tum propter calamitates a Deo missas, tentationes namque tenebrae sunt animi. Proprie autẽ Ieremiam in catarracten coniecit Paschor tenebricosum & lumine cassum, cuiusmodi illa Dauid spelunca fuit, in qua a Saul abscondebatur. possunt etiam hae duae lamentationes de Christo accipi, cuius typus erat Ieremias, tanta a Iudaeis passo & demum sepulturae tradito. OLYMPIODORI. Ex persona quidem Domini, mendacium inquit aedificatum extructumque est. multa namque de illo mentiebantur. ex persona vero humanae naturae, nõ hoc solo inquit contentus fuit inimicus vt mihi supplicium inferret, sed etiam munitiones circa me extruxit, adeo vt effugere nequeam. § In tenebrosis collocauit me quasi mortuos saeculi. § OLYMPIOD. Hoc antea Dauid de Domino praenuntiauit propter eius sepulturam. Quod si communiter de anima dicitur, significat tenebris illam oppleuisse, intelligibili lumine priuatam.

Psal. 142. Ierem. 20. Psal. 87.

BETH. V V L G A T A.

Vetustam fecit pellem meam & carnem meam. contriuit ossa mea.

HAec verberum frequentia & assiduitate pellis & caro quae tamquam indumentum est corporis, vetusta facta est, &

est,& tamquam detritum vestimentum & vetustate lacerum, dirupta est & decidit. ossa vero quae eiusmodi veste tegebantur, illa cadente & veterascente, contrita sunt atq; confracta. § Vetustam fecit pellem meam & carnem meam. § Sic de pelle & carnibus loquitur tamquam de vestimento, ideo verbum veterascendi & vetustum faciendi illis adiungitur, quod de veste proprie dici solet. simili modo dixit Iob cap. 10. § pelle & carnibus vestisti me. § vestis autem detrita laceratur & discinditur & cadit. ad eundem igitur modum dicit carnem ac pellem suam verberibus assiduis detritam atque consumptam ossa nudasse, ad quae cum flagella peruenissent, illa quoque contrita esse atque confracta. figurate autem haec de ciuitate dicuntur, vt pellis & caro honestos viros significent qui quasi indumentum sunt & ornamentum ciuitatis. ossa vero fortes viros ac robustos. aut pellis humilioris condicionis ciues, caro honestiores indicat.

BETH.

Aedificauit in gyro meo, & circumdedit me felle & labore.

Postea vero quam me minauit & abduxit a patrijs sedibus, & verberibus adactum in captiuitatē ire coegit, firmum carcerem vndique aedificauit quo inclusum teneat: & vndique tamquam custodes carceris adhibuit, fel, amaritudinem nempe, ac dolorem, laborem inquam & fatigationem ac desperationem. hi sunt teterrimi custodes qui me vndique cingunt ac seruant.

§ Aedificauit in gyro meo. § Hoc nonnulli de obsidione intelligunt, vallo namque & aggeribus ciuitatem cinxerunt Chaldaei. sed commode ad carcerem posse referri sequentia verba declarant, § In tenebrosis collocauit me: § § Felle & labore. § Fel dolorem animi ac maerorem significat, labor vero fatigationem, cum quispiam defatigatus, nihil se proficere videns, ab incepto desistit. Existimandum est autem eiusmodi vinctum cum vndique se exoluere vinculis, & de carcere exire tentasset, demum cum omnia in cassum esse molitum conspexisset, ab incepto destitisse: nam verbum Hebraeum לאה defatigari, vel defatigatum a re aliqua molienda cessare significat. in graeco autem est, § circumdedit caput meum. §

meum.§ quo significat catenam capiti colloque circumpositam se habere. nam quod in nostro textu fel versum est, LXX. caput transtulerunt ex Hebraico ambiguo. aut circumdatum caput intellexerunt molem maximam aedificij supra carcerẽ extructam, vnde euadere nullo modo possit. nam de circumposito muro in sequenti versu agit,§ Circumaedificauit aduersum me,§ & quae sequuntur.

BETH.

In tenebrosis collocauit me quasi mortuos sempiternos.

Atque vtinam carcer esset aliquo modo tolerabilis, minus id malum putarem: sed in tenebrosis mihi sedem tribuit, & in intimis carceris locis, & in tenebris quae intra alias tenebras sitae sunt, in cauernis terrae, in quibus collocatus paene nihil a mortuis sempiternis, qui numquam suis viribus a sepulchris exire poterunt, differo, ab omnibus derelictus, & obliuioni traditus.

§ In tenebrosis§ Carceres subterraneos intelligit, qui non tam habitacula viuentium, quã sepulchra mortuorum erãt. Sic dixit Dauid psal. 87. § Posuerũt me in lacu inferiori in tenebris & in vmbra mortis,§ & 142.§ collocauit me in obscuris sicut mortuos saeculi.§ Mortui autem saeculi seu mortui sempiterni sunt qui iam pridem e viuis excesserũt, ita vt eorum memoriam abiecerint homines. sic namq; dictũ est psalmo superius citato,§ Sicut vulnerati dormientes in sepulchris quorũ non es memor amplius.§ ergo quasi mortuos sempiternos se in obscuris collocatum dicit, & ab omnibus derelictum deflet, quod eius & spem & memoriam omnes abiecerint, tamquam eius qui nunquam sit ad superos & ad regionem, sedemque suam pristinam reuocandus. Psal. 87. Psal. 142.

GIMEL. L X X.

Aedificauit contra me, & non egrediar, aggrauauit aes meum. etiam quum vociferabor & clamabo, obstruxit orationem meam. circumaedificauit vias meas, obstruxit semitas meas.

ORIGENIS. Ineuitabilibus me malis induit, imponẽs collo meo contumacem rebellemq; populum, & onus maius

maius quam vt meae vires ferant. neq; adhuc exauditus sum, quamuis vt leuarer frequenter orauerim. nam exaudiri sanctos nonnunquam ipsae res prohibent. Ac fortasse iugum dicit etiam catenas illas ferreas, quas pro ligneis Dei iussu sibi circumposuit. nam haec quoque scriptura fertur, § aggrauauit aes colli mei. § § obstruxit orationem meam. § Quu illi dixit, § ne ores pro ipsis, non enim exaudiam te. § OLYMPIOD. In Domino quidem, propter signa quibus eius monumentum obsignatum est. In anima vero, propter catenas peccati quas illi aduersarius circumposuit. § Etiam quũ vociferabor, & clamabo, obstruxit orationem meam. § EIVSDEM. Multiplicãs studia peccatorum orationem meam ad Deũ obstruxit. Haec autem dicit anima, propterea quod etiam idola adorauit. § Circumaedificauit vias meas, obstruxit semitas meas. § ORIGENIS. Nam cum saepe tentasset, ac nisus esset, non permisit illi vt ministerium refugeret. dicebat enim, § non nominabo nomen Domini, § & tamquam igni compellebatur. Obstruit etiam peccatorum vias peccare non sinens. sed non talis vir erat propheta qui dixit, § non sedi cum consessu ludentium. §

Ierem. 28. Ierem. 14. Ierem. 1. & 20. Ierem. 15.

GIMEL. VVLGATA.

Circumaedificauit aduersum me vt non egrediar, aggrauauit compedem meum.

NEQVE satis illi fuit me in subterraneis locis conclusisse, nisi etiam maceriam circumdedisset, & circumaedificasset, vt nulla sit euadendi spes relicta. & quasi id parũ esset, adiecit etiã cõpedes eosq; grauissimos, ne vel mouere me possim. § Aggrauauit compedem meum. § Et superiora omnia, & hic versus praecipue in Sedeciam quadrat, quem, vt in Ieremiae prophetia capite 39. scriptum est, Rex Chaldaeorum post erutos oculos vinxit compedibus vt duceretur in Babylonem. de Sedecia interpretatur etiam Theodoritus.

Ierem. 39.

GIMEL.

Sed & cum clamauero & rogauero exclusit orationem meã.

Quin etiam ne vox orationis meae possit exaudiri si quando clamauero & rogauero, fenestras omnes obstruxit, per quas foras prodire vox posset.

§ Exclu-

§ Exclusit. § Sepsit omnes exitus vocis. sic etiam LXX. senserũt qui transtulerunt, ἀπέφραξε, idque Hebraea vox סתם significat.

GIMEL.

Cõclusit uias meas lapidibus quadris, semitas meas subuertit.

Rectas vias quibus exire possem, grauissimis molibus impositis, quadrisque lapidibus congestis obstruxit ac sepsit. quod si quae semitae erant ac deuij calles ad effugiendum, earum omnia indicia ac vestigia perturbauit & confudit, vt eas nosse & inuenire non possim, & ita peruertit, vt cum alio tendere videantur, alio ducant, & in eundem carcerem redeant, adeo vt instar labyrinthi cuiusdam caeci & obscuri in sua redeuntis vestigia, nullum exitum hic carcer habeat. § Semitas meas subuertit. § Eiusmodi figuris septarum viarum ac semitarum subuersarum, nihil aliud indicare vult, nisi omnes rationes euadendi ex his malis in quae incidit, sibi ademptas esse, qua etiam figura loquendi vsus est Iob cap. 19. Iob 19. § Semitam meam circumsepsit, & transire non possum, & in calle meo tenebras posuit. § Ergo quod hic ait, § semitas meas subuertit, § hoc est, obscurauit, ne eas videre possim, neque vllum sit in eis euadendi indicium; caecas & obscuras reddidit vt inueniri non possint; vt etiam Osee 2. § Ecce ego sepiam Osee 2. vias tuas spinis, & sepiam eam maceria, & semitas suas non inueniet. § Ceterum quod in graeco est, conturbauit, ἐτάραξε, altera interpretatio eiusdem Hebraeae vocis est: nam quidam interpres posuit subuertit, alter conturbauit.

DALETH. L X X.

Vrsus insidians ipse mihi, leo in absconditis. Persecutus est recedentem, & cessare me fecit, posuit me desolatam. Tetendit arcum suũ, et statuit me quasi signum ad sagittã.

OLYMPIODORI. Vrsus ipsum peccatum est, insidians vero varie & saeuiter aggrediens. EIVSDEM. Vrsus ad metum minor est leone. Diabolus igitur vbi prius animum peccato turbauerit, ipse postea per suam saeuitiam absorbere nititur. § in absconditis, § vero, hoc est astute & callide prius peccato perturbans. § Et cessare me fecit. § EIVSDEM. Hoc est prostrauit.

DALETH. VVLGATA.

Vrsus insidians factus est mihi, leo in abscondito.

DEvs ipse adeo in me desaeuit adeoque exterruit & turbauit, vt vrso ex insidijs irruenti, leonique de abscondito cubilis sui exilienti similis fuerit; quae belluae tum crudelius saeuiunt, cum ex composito & meditato hominem nihil tale cogitantem & secure praetereuntem aggrediuntur. Hac similitudine vsus est etiam Dauid in psalmo 9. ⸗ Sedet in insidijs cum diuitibus in occultis. ⸗ &, ⸗ insidiatur in abscondito quasi leo in spelunca sua. ⸗ illud autem in his verbis aduertendum est, prophetam Deo tribuere, quod hostes fecerunt: quia eo permittente fecerunt hostes, quicquid aduersus Iudaeos fecerunt.

Psal. 9.

DALETH.

Semitas meas subuertit & confregit me, posuit me desolatam.

Qua solent arte belluae facere vt praecidant itinera, & praeoccupent, ita vt vltra progredi non possit animal quod praedari cupiunt, hac in me arte vsus est Deus; vias namque meas subuertit, vt vlterius ire non possem, sed consilia omnia mihi irrita caderent, & qua fugerem non haberem: deinde quod praeda capta facere solent leones, confregit me ac discidit, & terrore ac pauore exanimauit, vt quodammodo amens fierem, ac stuperem atrocitate improuisae rei concussus atque perculsus.

⸗ Semitas meas subuertit. ⸗ Hebraei verbum סרר a spinis deriuant, quasi haec sententia sit, semitas meas spinis sepsit, vt ne progredi possem. LXX. alio sensu, ⸗ persecutus est recedentem. ⸗ me quasi seruum fugitiuum ac perfidum a Domino recedentem persecutus est & comprehendit, & tamquam leo discerpsit. quod ipsum facturum se per Osee comminatus est, dicens, ⸗ Eleuauerunt cor suum & obliti sunt mei; & ego ero eis quasi leaena, sicut pardus in via Assyriorum. Occurram eis quasi vrsa raptis catulis, & dirumpam interiora iecoris eorum, & consumam eos ibi quasi leo: bestia agri scindet eos. ⸗ Haec autem verba tam apud LXX. quam apud beatum Hieronymum, in persona ciuitatis, dicuntur, ideo transtulerunt

Osee 13.

stulerunt

ſtulerunt femineo genere, ʒ poſuit me deſolatam. ʒ

DALETH.

Tetendit arcum ſuum & poſuit me quaſi ſignum ad ſagittã.

Tetendit arcum ſuum.ʒetiã Iob hac vſus eſt dicendi figura, cum ſe omnium acerborum caſuum telis obiectũ eſſe, vellet indicare. ʒ Tenuit inquit ceruicẽ meã, confregit me, & poſuit me ſibi quaſi in ſignum. Circumdedit me lanceis ſuis, conuulnerauit lumbos meos, & effudit in terra viſcera mea. ʒ ʒ Quaſi ſignum ad ſagittam. ʒ Quia ambiguum eſt apud Hebraeos ſigni vocabulum, nam & ſcopum ſignificat & carcerem, poteſt fieri, quod non raro in ſcripturis accidit, vt ex ambiguitate verbi, ab vna ſignificatione in alteram latenter indicandam tranſeat, velitque ſcopum immobilem illum dicere carcerem in quẽ vel Ieremias, vel Sedecias, vel captiui Iudaei miſſi ſunt, in quo uelut fixi & immoti, diuerſorum caſuum aerumnarumque telis ac ſagittis confoderentur. Iob 16.

HE. L X X.

Induxit in renes meos filios pharetrae ſuae. Factus ſum riſus omni populo meo, pſalmus eorum tota die. Saturauit me amaritudine, inebriauit me felle.

ORIGENIS. Omnia tela ſua in me conſumpſit, meã concupiſcentiam vulnerans, neque permittens quod volo facere. Renes vero in ſcriptura concupiſcentem facultatem ſignificant. filij pharetrae ſunt tela atque ſagittae. Ac me poſtea tamquam mendacem irridebant, & in canticum atq; carmen ſuum conuertebant. Ideoque antea dixit, ʒ Solus ſedebam, quoniã amaritudine repletus ſum, & quae ſequũtur. ipſe enim pro illis orabat, illi contra inſidias ſtruebant. & tamen recuſare miniſterium non licebat. acerbe ferebat igitur cum & pro illis pateretur, & ſimul pro patientibus doleret, & pro peccantibus ſeſe diſcruciaret. ʒ Factus ſum riſus omni populo. ʒ OLYMPIOD. Dominus quidem infideli populo. Anima daemonum turbis. ʒ Pſalmus eorum. ʒ EIVSDEM. hoc eſt laetitia, gaudium. ʒSaturauit me amaritudine, inebriauit me felle. ʒ EIVSDEM. Etenim felle in cruce illum potauerunt. amaritudo quoque animae ipſum peccatum eſt. Ierem. 15.

O 2 HE.

HE. VVLGATA.

Misit in renibus meis filias pharetrae suae.

PHARETRAM suam cũ sagittis impleſſet,& grauidam feciſſet,eas fere omnes in meis praecordijs renibusq; cõfixit. Filias pharetrae figurate pro sagittis posuit, quod illas pharetra contineat, vt matres vtero ferunt filias. ac fortaſſe pharetram intelligit Dei iudicium ac prouidẽtiam,filias pharetrae vindictam & flagella a Deo in homines miſſa.neq; enim in homines ille sua tela iaculatur, & flagella mittit, nisi quae prius in eius prouidentia atque consilio condita fuerint.nihil enim temere fieri patitur,sed omnia iuste sapienterque disponit.

HE.

Factus sum in derisum omni populo meo,cãticũ eorũ tota die.

Atque haec mala quidem vniuerso populo ac ciuitati contigerunt: ego vero & modo simul cum ceteris in aerumnis ijsdem versor, & poenae socius sum; & quum haec praedicerem omni populo gentique meae, Anathothitis ac leuitis
Ierem. 20. derisui habebar,adeo vt etiam Phassur sacerdos me caederet, & neruo constringeret:quin etiam facta dictaque mea *in canticum* verterant, vt quum iocari vellent nihil iucundius narrarent,quam meorum casuum fabulam.

Difficile est hunc versum de populo aut ciuitate intelligere, quamuis nonnulli conentur. Nã & haec verba de se Ieremias dixit in prophetiae suae cap.20.cum a Phassur sacerdote percussus esset,& missus in neruũ, ʒ factus sum, inquit ibi, in derisum tota die,omnes subsannãt me.ʒ Praeterea quod ait,ʒOmni populo meo,ʒ quomodo de populo Iudaeorum aut de ciuitate possit commode accipi,inuenire non facile est.quomodo namq; populus aut ciuitas populo suo in derisum fiat? quisve alius est populi aut ciuitatis populus a quo derideatur? At si de Ieremia intelligatur,populus eius Anathothitae leuitaeq; qui in Anathoth habitabant,conuenientiſſime accipiẽtur,qui illi cũ auxilio eſſe debuiſſent,infensi prae ceteris erant, vt eodem capite scriptum est, ʒ Audiui contumelias multorum, &
Ierem. 20. terrorem in circuitu, Persequimini & persequamur eum; ab omnibus viris qui erãt pacifici mei & custodientes latus meũ.ʒ

& capi-

& capite 11. specialiter de viris Anathoth, ʒ Haec dicit Dominus ad viros Anathoth qui quaerunt animam tuã, & dicunt non prophetabis in nomine Domini, & quae sequuntur. ʒ & cap. 12. ʒ Nam & fratres tui, & domus patris tui, etiam ipsi pugnauerunt aduersum te, & clamauerunt post te plena voce; ne credas eis cum locuti fuerint tibi bona. ʒ Quamuis si quis velit, possit etiam ad Sedeciam haec verba referre: qui cum captus esset, & luce priuatus oculorum, & in Babylonem catenis vinctus abductus, & in carcerem missus, etiam suo populo ludibrio fuit. sed conuenientius in Ieremia ipso intelligũtur, cum de se proculdubio etiam ad extremum huius tertiae lamentationis dicat, ʒ Sessionem eorum & resurrectionem eorum vide, ego sum psalmus eorum. ʒ

HE.

Repleuit me amaritudine, inebriauit me absynthio.

Cibo me satiauit maeroris ac doloris, multo magis quam fel amariore: potumque coniunxit tali cibo dignissimum. afflictionibus namque ac tribulationibus absynthio amarioribus pleno calice & vsque ad ebrietatem potauit. Sic in prophetia sua Deum dixisse refert, ʒ Ecce ego cibabo populum istum absynthio, & potum dabo eis aquam fellis. ʒ

VAV. L X X.

Et excussit calculo dentes meos, cibauit me cinere. Et repulit a pace animam meam, oblitus sum bonorum: Et dixi, perijt victoria mea, & spes mea a Domino.

ORIGENIS. Calculo inquit, vel numero singulis dẽtibus percussis in maxilla, vel lapide duro. Et iuxta Dauid dicit, ʒ cum cinere panem meum manducabam, ʒ indicans prae tribulatione se ne ipsum quidem panem cum voluptate percipere. non sinebant igitur meam animam in pace versari, cũ & ipsa turbaretur, & insuper videret foris tumultus, intus pugnas. itaque cum nihil commodum sperarem, ipsius Iob voces emisi, ʒ repudiauit me misericordia, & spes mea a Domino. ʒ neque enim circumstantia mala vincere fas erat. ʒ Et repulit a pace animam meam. ʒ OLYMPIOD. Iudaeorum populus nolens pacem seruare cum suo saluatore. Diabolus vero, ex Dei

Psal. 101. Iob 1.

pace

pace animam abducens. ʒ Et dixi, perijt victoria mea & spes mea a Domino. ʒ EIVSDEM. Haec dicit Saluator de populo Iudaeorum, qui antea haeres eius erat, & spes gloriae. Dicit etiam anima, multiplicatis peccatis meis suspicata sum reuocationem restitutionemque meam nullam fore.

VAV. VVLGATA.

Et fregit ad numerum dentes meos, cibauit me cinere.

CIBO lapillis cinereque adeo pleno me cibauit, vt ad vnũ mihi omnes dentes excusserit.

Hoc & de Ieremia intelligi non absurde potest, & de captiuis Iudaeis in carcere positis, quod pane aliti sint immundo & arena lapillisque commisto, adeo vt dentes eorum comminuti sint, iuxta illud de psalmo. ʒ Quia cinerem tamquam panem manducabam, ʒ quod autem beatus Hieronymus dixit, ʒ fregit ad numerum, ʒ ex graeco transtulisse videtur, καὶ ἐξέβαλε ψήφῳ ὀδόντας μου, ʒ & eiecit calculo dentes meos. ʒ nam calculis quia ratio supputabatur, ideo illũ puto intellexisse ex calculo numerum. ad numerum igitur, hoc est ad vnum omnes dentes fregit. quamuis possit commode intelligi LXX. *calculi* nomine lapillos pani admistos intellexisse, quomodo in Prouerbijs dicit Salomon, ʒ Suauis est homini panis mendacij, & postea implebitur os eius calculo. ʒ ʒ Cibauit me cinere. ʒ Sic etiam LXX. ἐψώμισε. sunt autẽ ex Hebraeis nonnulli qui malint verbum Hebraeum hoc loco significare, operuit, aut inquinauit me cinere, vt הכפישׁ sit idẽ fere quod חפשׂ, quod verbum ponit scriptura 3. Reg. 20. de propheta loquens, qui com mutauit aspersione cineris os suum.

Psal. 101.

Prou. 20.

VAV.

Et repulsa est a pace anima mea, oblitus sum bonorum.

In haec igitur tam multa tamque magna mala cum inciderim, spem omnem expectationemque felicioris status ac pacis abieci, & anima mea longe a pace facta est, vt illam se consequi posse desperet. cogitationemque omnem bonorum iucundiorumq; rerum missam fecerit.

Haec verba infirmiorum animorum sunt, & Iudaeorum illorum qui tristioribus rebus cum animi fortitudinem atque constan-

conſtantiam abieciſſent, nihilo meliora quam in quibus verſabantur ſperabant: videbant enim euerſum templum, concrematam incendio ciuitatem, omnes fere captiuos ductos, regẽ in carcere incluſum, & ſi qua ſalutis in Godolia ſpes affulſerat, eam morte illius extinctam: quamobrem in ſumma rerum deſperatione viuebant. aut ſi Ieremiae ſunt haec verba, diuiſi inter ſe hominis verba ſunt, & vario curarum atque cogitationum aeſtu fluctuantis, vt haec ad infirmitatem pertineant, eius qui ſe malorum magnitudine oppreſſum videat, ſequentia vero ad ſpiritus fortitudinem infirmitatem carnis conſolantis, vbi ait; § Miſericordiae Domini quia non ſumus conſumpti. § §Repulſa eſt a pace anima mea. § Longe factus ſum a pace, adeo longo interuallo abſum a pace, vt illam ſequi non ſit animus. ſenſum fere omnem & deſiderium pacis amiſi. Chaldaeus interpres, taedet animam meam rogare pacem.

VAV.

Et dixi, perijt finis meus, & ſpes mea a Domino.

Itaq; mecum ipſe cogitans exiſtimaui, mihi nihil aliud boni cõſtanter expectandum, aut ſperandum a Domino. quamobrem cum malis plurimis vexer, & ſpem quae malorum eſſe leuamen ſolet, mihi nullam eſſe reliquam putem, actum eſt de me, & in malis iam deploratis conclamatiſque verſor.

§Et dixi. § Hac forma loquendi ſaepe ſcriptura vtitur pro eo ac ſi diceretur, mecum ipſe cogitaui, ac ſtatui. §Perijt finis meus. §In Hebraeo eſt נצחי, quod LXX. transferre ſolent νῖκος, victoriam: vnde Apoſtolus 1. Cor. 15. § Abſorpta eſt mors in victoriam.§ itaque cum LXX. ſpem nomine victoriae donent, praeclare docent ſpem eſſe conſtantis fortiſque animi virtutem, perferentis omnia propter ſperatorum bonorum expectationem: finis etiam a beato Hieronymo dicitur, a termino quem reſpicit, qui finis eſt & bonum. §Et ſpes mea a Domino. § & bonum quod expectabam a Domino, prorſus euanuit. 1. Cor. 15.

ZAIN.

ZAIN. L X X.

Recordatus sum a paupertate mea & persecutione mea: amaritudinis meae & fellis. Memoria memor ero, & exercebitur in me anima mea. Hanc ponam in cor meum, propter hoc sustinebo.

OLYMPIODORI. Saluatoris verba sunt, recordatus inquit voluntariae exinanitionis meae,& passionum quas pertuli; & haec habens & seruans in me ipso,aequo animo fero,vt mea patientia ipsos quoq; Iudaeos lucrifaciam. Ex persona vero peccatoris sic intelliges. paupertatis hoc est immutationis. nam post mutationem anima persecutionibus peccatorum traditur. § Amaritudinis meae & fellis. § EIVSDEM. Quae mihi acciderunt in regione peccati. § Et exercebitur in me anima mea. § EIVSDEM. Haec intra se meditans,seipsam condemnabit. § Hanc ponam in cor meum. § EIVSDEM. Memoriam meae ipsius condemnationis,recōdam in corde meo. § Propter hoc sustinebo. § EIVSDEM. Nā qui se voluntarie peccasse nouit, sustinebit Dei correptionē, & eius misericordiā.

ZAIN. V V L G A T A.

Recordare paupertatis & transgressionis meae, & absinthij & fellis.

CVM igitur mihi mala mea resque iam deploratas consideranti,nulla spes reliqua sit,ad te solū conuertor Domine, teque vt miserearis oro, testemque meae patientiae & afflictionis aduoco, qui etiam trāsgressionis conscius es, quae mihi malorum afflictionisque causa fuit. recordare absynthij quo potatus, fellis quo pastus sum. doloris nempe quem pertuli,aerumnarumque quas exhausi. & quamuis hac iustissime pertulerim,fac tamen vt mea patientia veniā relaxationemq; afflictionum ferat, sicut transgressio te ad supplicium sumendum & vindictam inferendam exacuit.

§ Recordare paupertatis & transgressionis meae. § Eam paupertatem commemorat,de qua primo versu dixerat, § Ego vir videns paupertatem meam. § nempe carcerem ac vincula seruitutis. Recordari autem ideo petit,vt misereatur. nam vt illū recorda-

recordatio peccatorum nostrorum ad iram prouocat, sic patientiae nostrae recordatio ad misericordiam flectit. § Transgressionis meae, § vel actiue accipienda est transgressio, quod in te transgressus sum, quod a te desciui, & tuis praeceptis nō obtemperaui. vel passiue, quomodo etiam conuenientius accipitur, quod alij in me transgressi sunt, & amicitiae humanitatisque foedera violarunt. Ac si ex persona Ieremiae dictum accipitur, transgressi sunt in eum sui gentiles Anathothitae & Leuitae. Si ex persona gentis totius Iudaeorum, violarūt foedera cum ea gente inita, Idumaei, Ammonitae ac Moabitae, qui de illius populi excidio laetati sunt, & hostes illius adiuuerunt. atque in hunc modum passiue intellexit ille qui in Chaldaicum sermonem hunc librum transtulit. Recordare inquit afflictionis animae meae, & quod in me transgressi sunt inimici mei. Paulo aliter videntur hunc versum intellexisse LXX. ἐμνήσθην ἀπὸ πτωχείας μου καὶ ἐκδιωγμοῦ μου, πικρία καὶ χολή. § Recordatus sum paupertatis meae & persecutionis meae, amaritudo & fel. § Quae sic intelligenda videntur, si recordari voluero paupertatis meae ac persecutionis meae, ea recordatio mihi adeo acerba est, vt absinthio & felli per similis sit. quem sensum nonnulli etiam ex Hebraeis probant. Potest proxime ad hanc intelligentiam perducere latina interpretatio. Recordare Domine paupertatis & trāsgressionis meae, quae mihi loco absinthij sunt & fellis.

ZAIN.

Memoria memor ero & tabescet in me anima mea.

Tu domine mearum aerumnarum recordare. nam ego quidem quum earum recordor, & eas memoria repeto, tabescit in me anima mea, & paene deliquiū patitur, prae doloris maerorisque magnitudine.

§ Memoria memor ero, § μνεία μνησθήσομαι, habēt etiā vulgati codices graeci. Sed Vaticanus Codex habet μνησθήσεται, recordabitur. refertur enim ad animā, cōmemorabit haec quae supradicta sunt, anima mea & tabescet in me. nō repugnat autē textus Hebraicus huic versioni, immo optime congruit, זכור תזכור ותשיח עלי נפשי. Quae verba hanc sententiam possunt efficere; si quādo has aerumnas quas dixi, memoria repetens anima mea

tabescit seu dolet, & secum ipsa super his malis meditatur ac tacite loquitur, tunc haec quae sequuntur mecum & in corde meo recolens, me ad spem excitabo, & Dei misericordias considerabo, vt ex illarum consideratione iacentem animum erigam. §Et tabescet. §LXX. *καταδολεσχήσει ἐπ' ἐμὲ ἡ ψυχή μου*. mecum ipsa anima confabulabitur super his malis: solet enim fieri vt cum aliqua cura atque molestia animum angit; nos ipsi nobiscum colloquamur & aut cõsolationem adhibeamus, aut tacitis cogitationibus vel submisso murmure conqueramur, quod *ἀδολεσχεῖν*, solent LXX. transferre; & Symmachus *ἑαυτῷ προσλαλεῖν*, secum colloqui. Cum igitur haec repetens ipsa secum anima mea tacite colloquitur, tunc ea quae sequuntur in corde meo versans, & ex aduerso respondens, spem languentem excitabo.

ZAIN.

Haec recolens in corde meo ideo sperabo.

Cordi meo sic aestuanti & dolenti haec quae sequuntur subijciens, atque respondens, rursus me ad spem reuocabo. LXX. transtulerunt, *τάξω εἰς τὴν καρδίαν μου*, itaque non legerunt אשיב sed אשית, quasi hoc voluerint, cogitationi huic *spem* abijcienti, alteram cogitationem opponam vnde spes confirmetur. iuxta illud psalmi 13. §Quamdiu ponam consilia in anima mea, dolorem in corde meo per diem?§

Psal. 13.

HETH. L X X.

In exẽplari Graeco nihil erat, quod ad horũ verborũ expositionẽ pertineret.

Misericordiae Domini quia non defecimus, quia non sunt consumptae miserationes eius. Menses in matutinis: miserere Domine, quia consumpti non sumus, quia nõ sunt consummatae miserationes eius. Nouae in matutinis, multa est fides tua. Pars mea Dominus, dixit anima mea, propterea expectabo eum.

HETH. V V L G A T A.

Misericordiae Domini quia non sumus consumpti, quia non defecerunt miserationes eius.

AC me prima illa causa non mediocriter confirmat, & ad bene sperandum erigit, quod cum tam multis & tam magnis

magnis malis vexati ſimus, vt nulla humana vis illis obſiſtere poſſet, tamen illis non potuimus conſumi,& malis ipſi noſtris ſuperſtites ſumus, neque Dei miſerationum fons defecit & exiccatus eſt, ſemperque in cladibus noſtris partem aliquam eius miſericordiae ſumus experti; & non tāta fuit eius in nos ira,vt intercluſerit atque omnino continuerit a nobis clementiae ſuae beneficia.

§ Quia non ſumus conſumpti. § תמנו, primae perſonae vox eſt, non ſumus cōſumpti. at ſi תמוני legatur, non ſunt conſumptae mihi, verti poteſt, quomodo LXX. tranſtulerūt, ὅτι οὐκ ἐξέλιπέ με, § quia non defecerunt me. § ac ſi quid diuinare in ſcripturis licet, quod certe parciſſime & modeſtiſſime faciendum intelligo, interpretationem graecā fuiſſe conijcio, non, ἐξέλιπε, hoc eſt, ſunt conſumptae, ſed ἐξελίπομεν, conſumpti ſumus. ſed verbum ἐξελίπομεν vltima ſyllaba corrupta, mutatum eſt in, ἐξέλιπέ με. § Non defecerunt miſerationes eius. § verbum Hebraeum etiam in ſignificatione prohibendī vel includendi accipi poteſt, vt accepit qui Chaldaice tranſtulit, quia non ſunt prohibitae miſerationes eius: iuxta illud pſalmi 76. § aut continebit in ira ſua miſericordias ſuas? § non ſunt ergo prohibitae & quaſi noſtris peccatis intercluſae miſerationes eius.

B. Ambroſius lib. de obitu Valētiniani, habet, quod non defecimus, hoc eſt, ὅτι οὐκ ἐξελίπομεν. Pſal. 76.

HETH.

Nouae diluculo, multa eſt fides tua.

Neque ſolum conſumptae non ſunt eius miſerationes, verum etiam quotidie aliae ſuper alias oriuntur & nouae ſupra veteres cumulantur & germinant laeto germine, cum defeciſſe videntur: germen enim miſericordiarum tuarum perpetuo vernat ac floret. neque miſericordia tua ſolum ſemper noua eſt & numquam deficit, verum etiam fides, promiſſorumque tuorum conſtantia & firmitas multa eſt. neque enim tibi credentem & in te ſperantem fallis vnquam, aut deſeris.

§ Nouae diluculo. § Miſerationes Dei nempe de quibus proxime dixerat. Diluculo autem eſt, quotidie; ad eundem ſenſum LXX. tranſtulerunt, καινὰ εἰς τὰς πρωΐας, Nouae ipſae miſerationes, in ſingula matutina tempora. § Multa eſt fides tua. § Si haec verba ad Deum dirigantur, fidem Dei magnam eſſe di-

cit, quia quod promisit implet, aut spem in se sperantis non fallit. Si vt alij malunt, fidem hominum dicit, hic sensus erit, ea propter nouae quotidie sunt Dei miserationes, vt tua fides, (ad homines autem sermonem conuertit, aut proprie ad Iudaeos desperantes,) confirmetur & multiplicetur, & magna fit: crescit enim ex diuinae misericordiae experimento hominum fides, & ex ea magis magisque in eum credere & se suaq; illi committere discunt.

HETH.

Pars mea Dominus dixit anima mea, propterea expectabo eũ

Cum aliae gẽtes alios sibi Deos in quibus sperent & a quibus expectent auxilium elegerint, ego Dominum elegi, qui mihi Deus, qui patronus esset; propterea etiam si in aerumnas multas incidi, non tamen desistam quo minus in eo sperem, & ab eo auxilium expectem: haecque mihi secunda consolationis causa est, quod eum Deũ habeo, qui verus Deus est, & suis cultoribus quominus consulat, eosq; adiuuet, non cõmittet. § Pars mea Dominus. § In hanc sententiam Moyses quoque in

Deut. 32. Cantico dixit, § Quando diuidebat altissimus gentes, quando separabat filios Adam, constituit terminos populorum iuxta numerum filiorum Israel. Pars autem Domini populus eius, *Iacob* funiculus haereditatis eius, § cum enim quasi ex diuisione partem suam aliae gentes accepissent, & haec illum illa alium Deum sibi sumpsisset, Haec gens partem sibi optimam elegit ipsum Dominum, aut vt verius dicam ille huic genti se partem & velut haereditatem diuisam attribuit, inde etiam

Psal. 15. Dauid inquit, § Dominus pars haereditatis meae. §

THET. LXX.

Bonus est Dominus sustinentibus eum, animae quaerenti illum. Bonum & sustinebit, & quiescet in salutare Domini. Bonum est viro cum portauerit iugũ in iuuentute sua.

ORIGENIS. Nam cum in omnes sit bonus, nostram sustinentiam exigit. nam animae quaerenti illum, inquisitio ipsa bona est, quae sustinet, neque turbatur, quoadusque misericordia veniat, neque ad spem in alterum collocandam transit, quoadusq; salutare Dei appareat. fortasse etiam, § silebit, §

illud

illud significat, non curiose exquiret diuinae prouidentiae iudicia. Oportet itaque etiam si nesciamus, non refugere a Domino. OLYMPIOD. Bona est, inquit, animae istiusmodi inquisitio. § Et sustinebit & quiescet in salutare Domini. § EIVSDEM. Firmiter sperabit Christi & Saluatoris auxilium: & ipse enim est salutare Domini, iuxta Simeonis verba, § Quia viderunt oculi mei salutare tuum. § § Bonum est viro cum portauerit iugum a iuuentute sua. § ORIGENIS. § Quia iugum eius suaue est, & onus leue. § Lucae 2. Matth. 11.

TETH. VVLGATA.

Bonus est Dominus sperantibus in eum, animae quaerenti illum.

IIS autem quorum Dominus pars est, & qui mala tolerantes sperant in eum, neque ab eo desciscunt ac resiliunt, & animae quae illum colit, & ab eo quae petenda sunt petit, & illum in rebus agendis consulit, proculdubio benignus & clemens est.

§ Bonus est Dominus. § Sic Dauid in psalmo dixit, § Quoniam tu Domine suauis ac mitis es, & multae misericordiae omnibus inuocantibus te. § Ergo illum quaerere est illum inuocare, eius voluntatem inuestigare. Haecq; tertia ratio consolandi est, non inutilem esse rerum aduersarum tolerantiam ijs qui in Domino sperant. Psal. 85.

THET.

Bonum est praestolari cum silentio salutare Dei.

Vtile est autem in primis patienter, & quiete ac toleranter Dei auxilium atq; opem expectare, neq; contra Deum differentem obmurmurare, sed ei subiectum esse, eiusq; consilium atque gubernationem aequo animo ferre.

§ Cum silentio. § Hoc est toleranter, non turbato animo, quiete, patienter. nam qui impatienter ferunt, ij sub Dei imperio esse recusant, neque illi subiecti sunt, sed potius praeesse volunt. itaq; Dauid cum casus aduersos toleranti patienter expectare suaderet, inquit, § subditus esto Domino & ora eum. § Psal. 36.
Namque non modo aduersos casus aequo animo ferre, sed etiam Deum auxilium differentem sustinere, hoc est vere illi subdi-

Psal. 61. subditum esse. itaque etiam de se idem profitetur, § Non ne Deo subiecta erit anima mea? ab ipso enim salutare meum. § THET.

Bonum est viro cum portauerit iugum ab adolescentia sua.

Iugum autem disciplinae correptionisq; Domini, cũ aduersis rebus nos exercet & perdomat, si quis ab adolescẽtia, & *in*eunte aetate portauerit, ea res magnam illi vtilitatẽ allatura est. nam & diuinae subiectioni assuescet, & patientia atq; tolerantia sibi requiem parat illã de qua Dominus dicit, § Tollite Matth. 11. iugum meũ super vos, & inuenietis requiẽ animabus vestris. §

Iugum nonnulli praeceptorum ac mandatorum Dei esse putant. Alij ad rem de qua agitur congruentius, tolerantiam rerum aduersarum, quae Dei voluntate decretoque veniunt, intelligere malunt. § Ab adolescentia sua. § Vel adolescentes consolatur qui in aerumnas captiuitatis inciderant; vel ipse auctor, vt nonnulli Hebraei dicunt, adolescẽs erat cum haec scriberet. Sed coarguitur falsum, cum quo tempore haec scripsit, plusquã quinquaginta annos haberet aetatis: quod sic probatur. puer erat Iosiae anno tertio decimo, vt ex initio prophetiae illius apparet. reliqui sunt anni 18. nã 31. annos regnauit Iosias: quibus adijce annos 11. *Ioacim*, & alios 11. Sedeciae, fient quinquaginta tres.

IOD. L X X.

Sedebit solitarius & tacebit, quia leuauit super se. Dabit in puluere os suum, si forte sit spes. Dabit percutienti se maxillam, saturabitur opprobrijs.

ORIGENIS. Etiam si illi nemo consentiat, decernenti non oportere coniungi, etiã si solus relictus sit in ea sententia, in suis decretis fortiter persistet; ac firmiter fixus erit. Psal. 67. § Dominus enim habitare facit vnicos in domo, § dicit Da- Psal. 140. uid, &, § singulariter sum ego donec transeam, § tentationes scilicet, Dei clementiam adeptus. OLYMPIOD. Permanet in veritate, haec namque vna est; at vero peccatum varium & multiplex. § Et tacebit. § EIVSDEM. Hoc est, cessare faciet atque compescet eiusmodi morem. § Quia leuauit super se. § EIVSDEM. Iugum subaudi. § Dabit in puluere os suum, si forte

forte sit spes. § ORIGENIS. Nam seipsum humiliabit, dicēs, § Ego vero sum terra & cinis, § si vere sit vir & spei nō confundentis plenus. quale est etiam illud, § Adhaesit pauimento anima mea. § §Dabit percutienti se maxillam. § OLYMPIOD. Iuxta eum qui dixit, § Si quis te percusserit in dextram, verte illi & alteram. § Ad sensum vero subliminiorem, illi secundum Deum increpationi. § Saturabitur opprobrijs. § EIVSDEM. In hoc saeculo, vt non in futuro.

Gen. 18. Psal. 118. Matth. 5.

IOD. VVLGATA.

Sedebit solitarius & tacebit, quia leuauit super se.

EIVSMODI vir iugo Domini ferendo assuefactus ab adolescentia, etiam si multa & grauia perferat incommoda, sedebit ille quidem solus, tristis & maerens, a conuersationis humanae laetitia alienus: & tacebit, patienterque Dei decreta feret ac sustinebit, eius opem expectans; quia onus hoc a Deo impositum sibi ferendum esse, & tamquā iugum suis ceruicibus patienter subeundum iudicauit.

§ Sedebit solitarius. § Sedere solitarium, est maestum a coetu laetantium esse seiunctum. sic namque de se dixit Ieremias, § Sedebam solus, quia amaritudine plenus eram. § aut sedere solitarium, est animi confidentis nihilque metuentis indiciū, quasi non auxilium ab adiutorio hominum expectantis, sed ad Dei solius opem respicientis, vt Deuter. 33. de Israel dicitur, § Habitabit Israel confidenter & solus. §§ Et tacebit, § patienter expectabit, sustinebit. § Quia leuauit super se. § ipse sedēs solitarius leuauit super se. quia Dei decreta & quae illi euenire & accidere iussit incommoda atq; molestias, leuauit super se, & patienter & aequo animo tamquam iugum subijt, & huic quasi oneri collum subiecit. ex quibus verbis intelligimus, ei expectandum esse Dei auxilium, qui patienter aduersis rebus ferendis ceruicem subiecit. Leuare autem super aliquem, est alicui imponere seu proponere velut onus aliquod. qua loquendi forma dixit Gad ad Dauid, vt LXX. transtulerunt, Τρία ἐγὼ αἴρω ἐπί σε, § tria ego leuo super te, § sensum trāstulit B. Hieronymus, § Trium tibi datur optio, § tria tibi propono. Itaq; Hebraei locum hunc de lamentationibus, ad Deū

Ierem. 15.

referunt,

referunt,quia leuauit Deus super illum, hoc est,ideo patienter fert,& tacet, quia Deus haec mala vt illi euenirent decreuit & statuit,cuius iussis contraire & contratendere, nec possumus nec debemus, neque enim quicquam proficimus contra stimulum calcitrando, & grauius nobis iugum fit renitendo, & postremo contra ordinem ipsum & officium facimus, principis nostri mandatis atque decretis obsistendo.

IOD.

Ponet in puluere os suum, si forte sit spes.

Et non solum feret patienter quae illi ferenda Dominus imposuerit, verum etiam non aliūde quam ab eo sibi salutem fore certo sciens,& humilium orationem nihil non ab eo impetraturam intelligens,humiliabit se & abijciet, adeo vt adorans ponat in puluere os suum, terram & puluerem osculans, si forte humili prece spei suae compos esse possit.

§Ponet in puluere os suum.§ Procumbet in terram,pronus in terram adorabit,iuxta illud Psalmi 71.§Coram illo procidēt Aethiopes,& inimici eius terram lingent.§ & illud Esaiae 49. §Vultu in terram demisso adorabunt te, & puluerem pedum tuorum lingent.§ Alij sic hunc locum exponunt, etiam si ad extremam abiectionem miseriamque descenderit,& humi iaceat, adeo vt etiam pauimento & pulueri adhaereat anima eius,tamen tunc quoque spe salutis non carebit.

IOD.

Dabit percutienti se maxillam saturabitur opprobrijs.

Eiusmodi vir cuius spes est in Domino, & qui Dei volūtati subiectus est,maxima etiam opprobria,& quae turpissima habentur,perferet, cuiusmodi est in maxilla percuti, salutem & auxilium a Domino sperans.

§Dabit,§ quasi ad percutientis libitum; iuxta illud euangelicum, obuertet illi & alteram. Hoc ipse Ieremias opprobrium forti animo pertulit, cum eum Phassur percussit & misit in neruum, & quod verbis docuit, suo exemplo confirmauit. Ierem. 20.

CAPH.

CAPH. L X X.

Quia non repellet in sempiternum Dominus. Quoniam qui humiliauit miserebitur secundum multitudinem misericordiae suae. Non respondit de corde suo & humiliauit filios viri.

ORIGENIS. Conuenit hoc etiam in eos qui quum captiui tenerentur, verba quae sunt in septuagesimo tertio psalmo dicebant, ❡ Vt quid Deus repulisti in finem, iratus est furor tuus super oues pascuae tuae? ❡ & consentit cum illis verbis, ❡ Non in finem repellet Dominus, neque in aeternũ comminabitur; ❡ Sed dicet ei quem pro admissorum ratione paenitet, ❡ cesset a fletu vox tua, & oculi tui a lacrymis. ❡

Psal. 73.
Psal. 102.
Ierem. 31.

CAPH. VVLGATA.

Quia non repellet in sempiternum Dominus.

IDEO autem omnia haec mala aequo animo ac forti tolerat, & Deo subiectus est, & illius iussis ac decretis obtemperat, & eius salutare cum silentio & patienter expectat, quia pro certo habet, etiam si ad eam miseriam venerit vt ab omnibus caedatur, & ab omnibus opprobria perferat, numquam fore vt Dominus eius penitus obliuiscatur, & quasi nihil ad se pertinentem repellat, & aerumnas negligat, ac preces auersetur.

❡ Quia non repellet. ❡ Quomodo enim non relinquentem se relinquat? aut quomodo eius salutem negligat, qui ab eo illam expectat? quomodo eum proijciat, qui illi vsque adeo adhaeret, vt nulla vi malorum ab eo seiungatur? ❡ Si dereliqueris eum inquit Moyses, proijciet te in aeternum. Si quaesieris eum inuenies. ❡

Deut. 28.

CAPH.

Quia si abiecit, & miserebitur secundum multitudinem misericordiae suae.

Certumque est etiamsi tamquam impuros & immundos abiecit, cum id non ex sua natura quodam modo, nec ex corde suo, sed malis nostris & impuritatibus id exigentibus fecerit, multo magis fore vt humiliatis multitudinem misericor-

Q diae

Iacobi 2. diae suae ostendat & exhibeat. § Superexultat enim misericordia iudicio.

CAPH.

Non enim humiliauit ex corde suo, & abiecit filios hominū.

Vt enim affligeret & malis vexari permitteret filios hominum, non sua voluntate praecipua fecit, quasi ipsam impiorū miseriam & aerumnam spectet, sed ab illis prouocatus, vt moderata castigatione coercitos ad paenitentiam reuocaret. §Ex corde suo. § Non voluntate antecedente, sed voluntate consequente, vt Theologi loquuntur. aut non voluntate absoluta sed ex suppositione. humiliat enim & flagellat, & plectit si peccauerint. itaque per Ezechielem dicit, § Nunquid voluntatis meae est mors impij dicit Dominus, & non magis vt conuertatur & viuat? § vt enim affligat non tam voluntatis eius est, quam nostrae culpae.

Ezech. 18.

LAMED. L X X.

Humiliare sub pedibus eius omnes vinctos terrae. Declinare iudicium viri contra faciem altissimi. Condemnare hominem cum ipse iudicatur, Dominus non dixit.

OLYMPIOD. Non ipse, inquit, peccare fecit Adam & eius posteros; neque enim Deus peccatum sanxit: sed voluntarie mutationem illam subiuimus. EIVSDEM. Oratio e superioribus pendet. Deus non decreuit, vt humiliarētur sub pedibus aduersariorum. Vinctos vero terrae dicit vinculis peccatorum suorum constrictos. §Declinare iudicium. § EIVSDEM. Peruertere iudicandi facultatem, ad aduersandum altissimo. EIVSDEM. Deus non iussit vt condemnaremur ab aduersario, dum aduersus illum contendimus. ORIGENIS. Ex his discimus, non dixisse Dominum, neque auctorem esse vt vincti terrae sub peccato humilientur, neque vt humana iudicia quisquam detorqueat atque inclinet coram Domino. ille enim ius & aequum diligit: sed neque vt iure hominē condemnet. neque enim contraria ex ore Domini prodire possunt bona & malum. nam neque arbor bona fructus malos facit, neque arbor mala fructus bonos. quod igitur ab improbis iniuria afficiuntur homines, id praeter diuinum iudicium accidit.

cidit.ſed tamen accidit in ijs qui a Deo deſpiciuntur,vt Iſraelitis ab illorum hoſtibus euenit . idque Dei reſpectu tollitur. itaque hic Dei reſpectus ijs quaerendus eſt qui ad poenam ſunt atque ſupplicium traditi.

LAMED. VVLGATA.

Vt contereret ſub pedibus ſuis omnes vinctos terrae.

NEQVE enim credendum eſt in hac re Dominum id vidiſſe,eamque cogitationem habuiſſe,eoque ſpectaſſe, cum in poteſtate ſua haberet vinctos terrae, & omnes homines qui in terra verſantur & habitant, vt quaſi ſaeuus Dominus eorum poenis gaudẽs,illos contereret,& ſub pedibus ſuis affligeret,& in puluerem redigeret .

§Vt contereret.§ Hi tres verſus vel e ſuperioribus pendent. Non,inquit,humiliauit ex corde ſuo & afflixit filios hominũ , eo conſilio vt contereret ſub pedibus ſuis omnes vinctos terrae,& vt peruerteret iudicium , aut hominem in iudicio ſuo , & quamuis iuſte ſe defendentem condemnaret : id enim alienum a Deo . Vel hae tres ſententiae coniunctae ſunt ac pendent ex verbo ſequenti , § Dominus ignorauit , § nihil horum trium vidit atque ſpectauit cum afflixit homines. Eſt enim nõ modo non iniuſtus,verum etiam clementiſſimus: & ideo neq; tamquam ſaeuus ac teter dominus miſeria & aerumnis ſeruorum ſuorum gaudet ; neque tamquam iniquus Iudex cauſam hominum peruertit,aut iuſte ſe defendentes damnat.Poſſunt & aliter hi tres verſus accipi , vt pendeant quidem ex poſtremis verbis, § Dominus ignorauit, § ſed in eum ſenſum,vt commemorentur ea quae Iudaei a Chaldaeis & a Nabuchodonoſor praecipue patiebantur , & negetur ea Dei voluntate atq; conſilio, antecedente inquam,& voluntate beneplaciti fieri . Quod,inquit,Chaldaeus tyrannus conterit ſub pedibus ſuis omnes vinctos terrae,nẽpe Iudaeos captiuos ac vinctos;quod declinat iudicium in conſpectu altiſſimi , quod etiam ſe iuſte defendentem condemnat , haec omnia Dominus ignorauit , non eo volente & iubente fiunt . Poſtremo alius quoque ſenſus his verbis contineri non abſurde poteſt.nam quia dixerat, non ex corde ſuo afflixiſſe Dominum filios hominum , expo-

nere nunc videtur causas, quibus ille permotus quamuis non ex corde suo, tamen Israelitas afflixerit: & peccata illorum maximeq; principum fuisse dicit. Dum inquit conterunt sub pedibus suis vinctos terrae, & humiles ac tenues; dum deflectunt eorum Iudices veram rectamque iudicandi viam, idque coram Deo, nihil eius oculos praesentiamque veriti; dum iuste se in causa sua defendentes peruertunt & iniquissime condemnant, putas ne fieri vllo modo potuisse, vt haec scelera Dominus non viderit aut ignorarit? Non igitur Dominus quasi saeuus accusandus est quod Iudaeos afflixerit, sed nostra crimina & scelera confiteri aequum est, quibus ille prouocatus nos abiecit & repulit. Haec tertia exponēdi ratio Chaldaeae interpretationis auctori placuit. § Omnes vinctos terrae. § Vinctos terrae sic dici puto, quasi vinctos in foueis terrae, & specubus subterraneis inclusos. Gregorius Nazanzenus solet δεσμίους γῆς, allegorico sensu appellare homines, quod eorum animus cum sublimioris naturae sit, in corpore tamquam carcere vinctus teneatur. quod item Origenes ante senserat, sed alter quidem Catholico sensu, alter non satis recto. hic enim quasi in aliorum peccatorum poenam corpori sit animus alligatus, & a Deo ideo creatum corpus, vt animis quae peccauerant tamquam carcer esset, sic putat δεσμίους γῆς, dici homines; ille vero Catholico sensu, quod corpus impedimento sit ne liber animus ad res caelestes contemplandas euolet, iuxta illud de Sapientia, § Corpus quod corrumpitur aggrauat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem. § Sed de hoc Origenis error latius Methodius apud Epiphanium.

De Theolog. in Natale Dom. In Pascha.

Sapien. 9.

LAMED.

Vt declinaret iudicium viri in conspectu vultus altissimi.

Neq; hoc vidisse Dominum credendum est, aut in conspectu altissimi & in eius animo & voluntate fuisse, aut in eius conspectum ascendisse tantam peruersitatem, vt declinaret iudicium cuiusquā hominis, vel quasi pecunia corruptus, vel acceptione personarum inclinatus, vt peruersi Iudices faciūt. § Vt declinaret iudicium viri. § declinare iudicium est regulā iudicādi rectam peruertere, & a iustitiae norma & recto cursu de-

su de-

su deflectere. quod vel ideo fit, quia impotentes ij sunt quorũ causa agitur, & iudex iniquus eorum imbecillitatem proterit: vel quia donis Iudices corrupti sunt: vel postremo quia gratiam potentiorum atque nobiliorum captant. quae simul in Deuteronomio prohibita sunt, ❲ Iudices ne in alteram partem declinent: non accipies personam nec munera, quia munera excaecant oculos sapientum, & mutant verba iustorum. ❳ Deut. 16.
❲ In conspectu vultus altissimi. ❳ imminute dictum est, ac si dixisset, non venit, non ascendit in cõspectu vultus altissimi; aut non posuit in suo conspectu altissimus; iuxta illud psal. 100. ❲ non proponebam ante oculos meos rem iniustam: ❳ hoc est non id spectauit, non ita ipsi altissimo placuit: negatio namq; subauditur e superiori versu, ❲ Nõ enim humiliauit &c. ❳ quod idem est ac quod in sequenti versu ponitur, ❲ Dominus non vidit, ❳ seu ❲ ignorauit. ❳ Potest etiam alio modo sic intelligi, vt Chaldaeus vel Nabuchodonosor declinaret iudicium Iudaeorum, idq; in conspectu altissimi, illo vidente & percipiente, id Dominus ignorauit. Aut postremo, vt ipsi Iudaei antequam captiui fierent, & maxime qui inter eos iudices erant, contra Domini praeceptũ, declinarẽt iudiciũ, altissimo vidente & intelligente, id Dominus nonne vidit? nonne cognouit?

LAMED.

Vt peruerteret hominem in iudicio suo, Dominus ignorauit.

Neque putandum est vmquam id Dominum probasse, eoq; spectasse, vt etiam sese iuste defendentem hominem, & sui facti causam afferentem, & innocentem peruerteret, atq; damnaret, & pro sonte haberet. cum itaque nihil horum de Deo suspicari possimus, neque in eo Tyranni saeuitiam inesse, neque iniqui Iudicis iniustitiam, reliquum est in nobis culpam haerere, propter quam his malis nos afflixit & abiecit.

❲ Vt peruerteret. ❳ damnaret, sontem iudicaret, itaque optime LXX. τὸ καταδικάσαι, condemnare. ❲ In iudicio suo. ❳ in lite sua, in causa sua, dum aduersus alterum in iudicio contendit. LXX. ἐν τῷ κρίνεσθαι αὐτόν, dum iudicatur, dum agit. ❲ Dominus ignorauit. ❳ In Hebraeo est, Dominus non vidit, hoc est non hoc spectauit, non hunc animum, non hoc consilium habuit. sic Gen. 20. Abimelech cum Abraam expostulans, ❲ Quid vidisti

diſti vt hoc faceres? ʒ Hoc eſt, quod tuum in hoc facto conſilium fuit? In Graeco eſt, Κύριος οὐκ εἶπε, ʒ Dominus non dixit: ʒ ſed quantum ex Hebraeo conijci poteſt, LXX. tranſtulerunt, Κύριος οὐκ εἶδε. ʒ Dominus non vidit. ʒ Sed adeo antiquum eſt, οὐκ εἶπε, vt etiam Origenes id interpretatus ſit, cum ait, διὰ τούτων μανθάνομεν μὴ εἰρηκέναι τὸν κύριον, καὶ μηδὲ αἴτιον εἶναι αὐτὸν τοῦ ταπεινωθῆναι τοὺς δεσμίους τῆς γῆς. ʒ Ex his diſcimus non dixiſſe Dominum, neque auctorem eſſe vt vincti terrae ſub peccato humilientur. ʒ

MEM. L X X.

Quis ita dixit & factum eſt, Dominus non mandauit. Ex ore altiſſimi non egredientur mala & bonum. Quid murmurabit homo viuens, vir pro peccatis ſuis?

ORIGENIS. Fruſtra igitur murmurantes, in creatorem culpam conferimus: quod ſane viro viuenti facere nefas eſt: talis namq; ſententia eorum eſt qui mortui ſunt in peccato. niſi forte redarguit hominem in peccato viuentem, & Deum accuſantē. Ergo vt qui nihil niſi nos ipſos accuſare poſſimus, noſtra facta iudicantes conuertamur. OLYMPIOD. Nihil de Deo tamquam peccati auctore queratur. nam quia voluntarie homo peccauit, poteſt idem ad paenitentiam conuerti, & vanae ſunt excuſationes.

MEM. V V L G A T A.

Quis eſt iſte qui dixit vt fieret Domino non iubente?

MEM.

Ex ore altiſſimi non egredientur nec bona nec mala.

ATQVI, dicet aliquis, etiam ſi haec mala Dominus non facit ex beneplacito ſuo, accidunt tamen praeter eius voluntatem, & illo etiam non iubēte contingunt; caſus enim & fortuna dominatur in rebus. Quis tandem iſte eſt adeo ſtultus, vt quicquam fieri & euenire dicat Domino non iubente? aut quis tam potens eſt, vt dicat & fiat etiam praeter Domini iuſſum? & ſiue bona ſint ſiue mala non eius praecepto atque decreto contingant?

MEM.

MEM.

Quid murmurabit homo viuens, vir pro peccatis suis?

Quod si neque iniustus est Deus, vt praeter iustitiae normā paenas infligat, & declinet iudicium, neque muneribus corrumpitur, aut aliquorum gratia & fauore capitur, & personā cuiusquam accipit, neque vero quicquam aut boni aut mali euenit praeter eius voluntatem; quid causae est cur quisquā murmuret viuens, & culpis peccatisque suis, quae magis confiteri & humiliter agnoscere debuerat, aut Dei iniquitatem, aut fortunam casumq; praetexat, quasi aut iniuste, aut temere & sine consilio puniatur?

§ Quis est iste qui dixit vt fieret? § Superius haec mala quae Iudaeis acciderant, non ex Dei beneplacito, quasi poenis hominum etiam innocentium laetetur, euenisse dixit. deinde docuit fieri non posse, & alienum a Dei natura esse, peruertere & declinare iudicium: reliquum erat in casum ac temeritatem culpam conijcere, aut nostris peccatis adscribere. quod si non iniquus est in iudicando Deus, neque temere aut fortuito quicquam sine Dei consilio fit, relinquitur culpas Iudaeorum id esse commeritas, vt his malis ac poenis subijcerentur. In quibus verbis illud adnotandum, humilitatis gratia aliam malorum causam illum non commemorasse: nam saepe non vt peccata vindicentur, sed vt merita augeantur, vt etiam exempla patientiae atque constantiae proponantur, vexari iustos quoque homines Deus sinit: sed Ieremias hanc causam non commemorauit, seu humili animo culpis tribuens, cum praesertim sciri ab homine non possit, amore ne an odio dignus sit, & pro culpis ne an pro cumulandis meritis affligatur: seu quia clades illae Iudaeorū re vera pro illorum peccatis puniendis euenerant: ideoque hanc causam attulit, alias omisit. § Quis est qui dixit vt fieret? § Quis est tam potens homo ac tyrannus, seu Nabuchodonosor ille sit, seu quis alius, vt dicat & iubeat quicquam mali, & id statim fiat, etiam praeter Dei voluntatem? cum iniqui homines nihil nisi Dei permissu aduersus alios homines faciant, & virgae ac baculi instar sint, qui per se percutere nisi ab alio agitatus non potest. Ne igitur quisquam dum ab homine affligitur, illum

esse

esse auctorem suae afflictionis putet, sed tamquam diuinae vindictae ministrum intelligat. Ideo namque Assur virga indi-
Isa. 10. gnationis Dei ab Isaia vocatur. Hic vnus est horum verborũ sensus. Alter est contra falsam casus ac fati fortunaeque accusationem. Quae est ista tam potens & domina rerum fortuna, aut praepositum hominibus fatum tam ferreum, vt etiam inuito Deo quicquam dicat & iubeat, & illico fiat? adeo vt in rebus humanis nihil possit altissimus, & ex ore eius non egrediantur nec bona nec mala, neque inter homines vllam partẽ potestatis habeat, adeo vt neq; mali quicquã neq; boni illius iussu eueniat? Hanc secundam aduersus fatum & fortunam expositionem Theodoritus, & Hebraeorum nonnulli probãt. alij priorem. Quod si neque in Dei iniquitatem conijci culpa vlla potest, neque in fati & fortunae temeritatem, quid murmuramus & conquerimur, & vanas causas comminiscimur, & in res quae nullae sunt, nostrorum peccatorum culpam conferimus, quasi aut de Dei iniquitate, aut de fortunae fatiq; necessitate miseri simus, cum miseriae nostrae nos ipsi peccando auctores fuerimus? § Homo viuens. § Recte dicit, § homo viuens: § nam qui de fato fortunaque sua conqueritur, is mortuus potius est quam viuens. nam in mortuis & inanimis natura ipsa aut temeritas, si quid illa possent, locum haberent. temeritatem dico τὸ αὐτόματον. at in viuente homine fortunam ac fatum accusare ridiculum est, cum voluntate faciat quaecunque facit, non naturae aut fati necessitate cogatur. illa de necessitate conqueri possunt quae inanima & libera nõ sunt; at qui viuit, qui libero arbitrio donatus ornatusque est, quid habet quod suae culpae praetexat, & excuset excusationes in peccatis, perinde ac si mortuus esset, & spontaneos motus non haberet? quae hac vanior, quae leuior excusatio? § Vir pro peccatis suis. § Cum non solum viuens sit, verum etiam vir, hoc est, cum non modo voluntatis momenta habeat ad eligendum, verum etiam Deo donante vires ad efficiẽdum, quid aut de Deo conqueritur tamquam iniquo, aut casum ac fortunam tamquam malignam accusat? de se potius, & de suo vitio conqueratur.

NVN.

NVN. L X X.

Inuestigata est via nostra & examinata, & conuertamur vsque ad Dominum. Leuemus corda nostra in manibus ad excelsum in caelo. Peccauimus, impie egimus & non es placatus.

ORIGENIS. Fieri non potest vt conuertatur ad Dominum qui se ipsum ignorat. semetipsum vero agnoscit quisque, dum suis actionibus mentem atq; animum adhibet, simul illas conspiciens, simul etiam intellectuales efficiens. tũc namque reuelata facie gloriam Domini speculamur, & ante acta confitentes dicemus, ‖ Peccauimus & impie egimus vt auerteremur a te; &, iustus es in omnibus quae induxisti nobis. ‖ ‖ Leuemus corda nostra in manibus. ‖ ORIGENIS. Leuare corda in manibus videtur hoc significare, tamquam in manus sumendo cogitationes nostras, examinemus an purae sint. OLYMPIOD. Hoc est, ex terrenis rebus animas nostras attollẽdo, offeramus illas Deo, animas nostras per opera tamquam oblationem quandam adducentes. ‖ Et non es placatus. ‖ EIVSDEM. Quoniam irritauimus te, non es placatus. hoc est, iusta passi sumus.

2. Cor. 3.
Dan. 9.

NVN. V V L G A T A.

Scrutemur vias nostras, & quaeramus, & reuertamur ad Dominum.

OMISSIS igitur vanis excusationibus atque conquestionibus, vias, facta, vitamque nostram cum summa sollicitudine examinemus & inuestigemus, vnde malorum omnium origo pendet; & sicubi de recta via nos declinasse deprehenderimus, errore abiecto, per conuersionem ac paenitentiam reuertamur ad Dominum.

‖ Scrutemur vias nostras. ‖ Hoc nobis reliquum est, idque nobis faciendum incumbit, vt vias factaq; nostra perpendamus, ac diligenter examinemus. Scrutari autem dicit quasi intimos recessus & abditos rimari: facta nostra omnia excutiamus ac ventilemus.

NVN.

Leuemus corda nostra cum manibus ad Dominum in caelos.

Corda etiam nostra tamquam munus quoddam purum ac mundum puris manibus ad Deum, cuius habitatio in caelis est, attollamus, vt ei acceptum sit & gratum. neque enim cor contritum & humiliatum spernit vnquam, idque sacrificio
Psal. 50. quouis gratius illi est.

{ Leuemus corda nostra cum manibus. } In Ecclesia quoque mos hic receptus est, vt oraturi leuent manus, vt multa sunt quae per symbola quaedam & figuras corporeas oculis exhibet; quae interius & vere facienda sunt, significationibus quibusdam repraesentans.

NVN.

Nos inique egimus, & ad iracundiam prouocauimus, idcirco tu inexorabilis es.

Nos inique egimus a te discedendo, tuisque imperijs non parēdo, te ad iracundiam prouocauimus, & superbe tua praecepta contempsimus. idcirco te placatum habere non possumus, quia non ex imbecillitate, sed ex superbia tibi repugnauimus, teque contempsimus, & ad te conuerti neglexim*us*.

{ Et ad iracundiam prouocauimus. } non simpliciter peccauimus, sed quasi contemnentes te, ad iracundiam prouocare studiose curauimus. de industria contempsimus: peccatum autē quo maius est, eo maiore poena plectitur; { ideo, } inquit, { tu inexorabilis es, } & quamuis miserator sis & misericors, tamē culpa nostra id exigente, oblitus tuae mansuetudinis videris. quod ad poenam relaxandam es difficilior, id ad nostrae contumaciae culpam vindicandam facis, non quod tibi insita saeuitia sit.

SAMECH. L X X.

Operuisti in furore, & persecutus es nos, occidisti & non pepercisti: Obtexisti te ipsum nube, propter orationem, ad claudendum oculos mihi & abijciendum, posuisti nos in medio populorum.

ORIGENIS. Haec quoque superioris confessionis pars est. asperos casus tamquam ex nube tenebras quasdam nobis

nobis offudisti; & cum a te longe essemus persecutus es. occidisti per supplicia nos peccato mortificans. Et quia peccata nostra nos a te diuidebant, tamquam nube muri instar interiecta, non peruenit ad te nostra oratio. neque enim habebamus pennas colúbae vt super volare possemus, & dicere, § in Deo transgrediar murum. § non enim erat facile peccatū pertransire, quod & solidum est, & tenebricosum, & sancti Spiritus expers. § Propter orationem. § OLYMPIOD. Ne ad te peruenire posset oratio. § Ad claudendum oculos mihi & abijciendum. § OLYMPIOD. Auersio tui vultus, inquit, mihi lucis praesentiam eripuit, & vt solet oculos claudentibus euenire, mihi tenebrae obortae sunt. § In medio populorum. § OLYMPIOD. Sensibilium vel intelligibilium, propterea quod a peccatis proditi sumus. Psal. 54. Psal. 17.

SAMECH. VVLGATA.

Operuisti in furore & percussisti nos, occidisti nec pepercisti.

CVM tibi furorem iramque tuam quasi velum obtendisses, ne quempiam agnosceres, sine respectu aliquo percussisti nos, neque alicuius rationem habuisti; occidisti, neque alicuius misertus es.

§Et percussisti.§ In Hebraeo est, persecutus es, quod etiã LXX. habent, κατεδίωξας, quod potest etiam hunc sensum habere, quasi caligine quadam furoris obtexisti nos, vt quo fugiamus videre nō possimus. & sic furoris tui caligine obcaecatos persecutus es: iuxta illud Psalmi, § fiant viae illorum tenebrae & lubricum, & angelus Domini persequens eos.

SAMECH.

Opposuisti nubem tibi, ne transeat oratio.

Sed id quidem non tam graue est, quod furoris velo quasi caligine quadam, vel te contexeris ne cuiuspiam rationem haberes, vel nos inuolueris ne quo fugiendum esset videre possemus; illud nobis molestissimum est, & grauissimam poenam ducimus, quod nubem tibi, quasi murum interiectum opposueris, ne transeat oratio.

§Opposuisti nubem tibi. § Nubem firmitatem illam diuinae sententiae dicit, cum exorari se nō finit ab ijs qui illius admo-

Isa. 1. nitiones & consilia prius abiecerant, vt Isaias ait, § cum multiplicaueritis orationem non exaudiam, § & sapientia in Prouerb. 1. uerbijs, § Despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis: ego quoq; in interitu vestro ridebo, & subsannabo cum id quod timebatis euenerit &c. Tunc inuocabunt me & non exaudiam: mane consurgent ad me, & non inuenient me: eoquod exosam habuerint disciplinam, & timorē Domini non susceperint. § digna namq; paena est, vt qui monenti non obtemperarunt, non habeant adiuuantem, & cuius consilia non audierunt, is eorum orationes non exaudiat.

SAMECH.

Eradicationem & abiectionem posuisti me in medio populorũ.

Tamquam inutile lignum eradicasti me & euulsisti de terra mea, & abiecisti in medium populorũ, vt ab omnibus protererer. § Eradicationem. § Haec verba ex persona totius populi dicuntur, vnde etiam superius communi exhortatione vsus est, § Leuemus corda nostra, § &, § Scrutemur vias nostras & reuertamur ad Dominum, § & proxime posthaec, § Aperuerunt super nos os suum, &, formido & laqueus facta est nobis vaticinatio & contritio. § Non ergo haec omnia ad Ieremiae personam pertinent. § Eradicationem, § vero dicit tamquam infructuosae arboris de loco suo euulsionem, iuxta il-
Psal. 51. lud, § propterea Deus destruet te in finem, euellet te & emigrabit de tabernaculo tuo, & radicem tuam de terra viuen-
Psal. 91. tium. § Contraque de viro iusto dicitur, § Ego autem sicut oliua fructifera in domo Dei, &, Iustus vt palma florebit, sicut cedrus libani multiplicabitur, plãtati in domo Domini, in atrijs domus Dei nostri florebunt. § vt enim eradicata arbor neque floret, neq; fructum affert, & ignibus traditur, sic populus ille quasi aridum & infructuosum lignum extirpatus e terra sua, & in terram alienam proiectus, magna ex parte successionem generis perdidit, & gloriam illam tamquam ornatum foliorũ amisit. vnde etiam de Ioacim rege Iuda dicit idem hic Iere-
Ierem. 22. mias, § Haec dicit Dominus, Scribe virum istum sterilem, virũ qui in diebus suis non prosperabitur. nec enim erit de semine eius vir qui sedeat super solium Dauid, & potestatem habeat
Ezech. 37. vltra in Iuda, § & in persona populi captiui dicit Ezechiel,

§ perijt

§ perijt spes nostra, § tamquam scilicet arboris radicitus euulsae, & abscissi sumus. sed in LXX. legitur, καμμύσαι με, καὶ ἀπωθῆναι ἔθνεσι, quid autem in Hebraeo legerint, vt καμμύσαι, hoc est, oculos claudere dicerent, non possum conijcere. nisi forte λικμῆσαι, hoc est ventilare transtulerunt: sic namque hoc verbum Hebraeum מחה transferunt ijdem in Ezechiele, λικμήσω τὸν χοῦν αὐτῆς ἀπ᾽ αὐτῆς, euentilabo puluerem eius ab ea. itaque hunc sensum habere poterit; quasi pulueris rasuram & abiectionem posuisti me in medio populorum. vt enim leprosae domus puluis abradebatur, & in immundum locum proijciebatur, sic de illa habitatione Ierosolymorum, quae iam peccatorum lepra infecta erat, hi tamquã puluis abrasi erant, & inter populos ac gentes proiecti, & in omnẽ ventũ ventilati. nam Hebraeũ verbum etiã radere significat, licet in Ezechiele LXX. ventilare transtulerint. In Origenis vero expositione hic versus non est positus, ea vt opinor de causa, quia cum sic Origenes interpretatus esset, vt eius interpretatio verbo καμμύσαι, non congrueret, cum parum quid sibi Origenes vellet catenae auctor intelligeret, neque illius expositionem cum suo libro conuenire videret, leuem habuit expositionis illius iacturam, & ne parum cum textu cohaerere videretur, eam maluit omittere quam aliquid parum congruens ponere. neque vero Theodoretus aliquid habet quod ad huius versus expositionem faciat. Ezech. 26.

PHE. L X X.

Aperuerunt super nos os suum omnes inimici nostri. Timor & pauor factus est nobis, elatio & contritio. Emissiones aquarum deducet oculus meus super contritione filiae populi mei.

ORIGENIS. Symmachus πτόησις terror. Toto ore inquit absorbuerunt nos, & in profundum malorum descendimus, timore ac turbatione obruti. cadit enim peccator in foueam quam fodit, & suorum peccatorũ poenas luit: & quia ante contritionem praecedit contumelia iuxta Salomonem, hoc est superbia, quia elati sumus, ideo etiam contriti. vnde etiam Dauid canit, § non veniat mihi pes superbiae, & manus pecca-

Origenes videtur legisse non θάμβος, sed ἔπαρσις. Prouer. 16. Psal. 35.

peccatoris non moueat me.} } Aperuerunt super nos os suū.} Olympiod. Conuiciantes, aut absorbere quaerentes. } Timor & pauor factus est nobis.} Eivsdem. Ex varijs castigationibus. } Elatio & contritio.} Olympiod. Aut propter elationem, inquit, & arrogantiam contriti sumus, aut elati supra nos hostes nostri contriuerunt nos. } Emissiones aquarum deducet oculus meus.} Orig. Cumq; tanta mala passus esset,
1. Cor. 13. pro ijs qui fecerant dolet, } adeo caritas malum non cogitat.}

PHE. VVLGATA.

κακὸν οὐ λογίζεται sic intelligit Origenes, ac si esset, οὐ μνησικακεῖ, non repedere malū cogitat. Iudic. 11.

Aperuerunt super nos os suum omnes inimici.

Omnes inimici nostri tamquam teterrimae belluae aperuerunt super nos os suum absorbere deuorareque cupientes, & penitus perdere atque consumere.

} Aperuerunt super nos os suum.} Nonnulli ad irrisionē pertinere haec verba dicunt. quod nō admodum probo. Nonnulli ad iniqua cruentaq; decreta quae in Iudaeorum populum victores Chaldaei decernebant, iuxta illud Iephtae dictum ad filiam, vt LXX. habent, } aperui os meum super te.} Sed
Lament. 2. malui tamquam de belluis deuorare properantibus intelligere, vt etiam huius libelli capite 2. } Aperuerunt super te os suum omnes inimici tui, sibilauerunt & fremuerunt dentibus suis, & dixerunt, deuorabimus.} habet autem significationē quandam maximae auiditatis verbū, } aperuerūt, } quasi non modice, nostrā perniciē expetierunt, sed toto ore in nos inhiauerunt, iuxta illud Isaiae 9.} & deuorauerūt Israel toto ore.}

PHE.

Formido & laqueus facta est nobis vaticinatio & contritio.

Ineuitabilia mala incurrimus, adeo vt si alterū fugeremus, in alterum cadere necesse esset longe priore peius. itaque vaticinationem fugientes in contritionem lapsi sumus, nō secus, atque auis quae sonitum pertimescens in laqueum incidit.

} Formido & laqueus.} Cum vaticinia prophetarum timeremus, & illa euitare niteremur, in contritionem & ruinam incidimus. ita vt vaticinatio & contritio facta sit nobis, ac fuerit idem quod auibus formido & laqueus. vt enim auis formidoloso territa sono, in laqueum quem euitare volebat & pertimescebat

mescebat incurrit, item nos vaticinia pertimescentes, & moleste ferentes, in illam ipsam perniciem quae vaticinijs praenunciabatur incurrimus. sic etiam in Prophetia sua de Moab dicit Ieremias, § Pauor & fouea & laqueus super te o habitator Moab dicit Dominus: Qui fugerit a facie pauoris, cadet in foueam: & qui conscenderit de fouea capietur laqueo. § Ierem. 48.
§ Vaticinatio & contritio. § Dubitari potest, quam consequentiã habeat cum vaticinatione contritio, nullam enim habere videtur. sed mihi beatus Hieronymus id sensisse videtur: nam quia vaticinatio apud Hebraeos onus, seu elatio dicitur, seu impositio, id enim est משא, putauit eandem vim habere vocẽ שאת, quae vox hoc loco in Hebraico reperitur, cum eandem originationem habeat. Cum igitur onus seu elatio sit prophetia & vaticinatio, existimauit voluisse Ieremiam ex ambiguitate verbi gratiam sermoni conciliare, vt ex vno intellectu in alterum transiret, ex vaticinio in pondus seu onus, seu elationem oneris. pondus autem cum graue est conterit, & quod attollitur & super ponitur si cadat comminuitur atque conteritur; apte igitur & cum gratia quadam sermonis, cum vaticinio coniunxit contritionem. eodem loquendi modo vsus est in prophetiae suae capite 23. cum Dei iussu prohibet ne per iocum illudentes prophetis, illorum vaticinia onus vocent. § Vt quid, inquit, vobis onus. proijciam quippe vos dicit Dominus, § nempe tamquam graue onus & intolerandum ex humeris proijciam & conteram & affligam. Eodem modo dicuntur assumptiones, quasi onera in humeros sublata. vt huius libri cap. 2. § Viderunt autem tibi assumptiones falsas & eiectiones. § Non longe ab hoc intellectu abierunt hoc loco LXX. qui transtulerunt ἔπαρσιν, elationem. vt sit, facta est nobis elatio & allisio seu contritio, iuxta illud psalmi 101. § Eleuans allisisti me. § Psal. 101.
Ceterum verbum Hebraeum quod hic legimus, שאת, potest etiam terrorem significare, vt eadem sententia alijs verbis repetatur, formido & laqueus factus est nobis, terror & contritio: nam terrorem fugientes in contritionem & ruinam quasi in foueam incidimus, in qua contriti & confracti sumus. neq; hoc loco solum hoc Hebraeum nomen terrorem significat, verum etiam in Iob 31. vbi ille inquit, § Sem- Iob 31.
per

per enim quasi tumentes in me fluctus timui Deum,& pondus eius ferre non potui,} pondus,horrorem ac terrorem intelligit.itaque qui in Chaldaeum sermonem transtulit, horrorem ac formidinem reddidit.

PHE.

Diuisiones aquarum deduxit oculus meus, in contritione filiae populi mei.

Quasi iugiter defluentibus riuis oculi mei manarunt, cum aspicerem quassationem atq; cõtritionẽ generis populi mei. {Diuisiones aquarum.} Gratia magna est in sermone ex ambiguo.oculus enim in Hebraeo & partem corporis qua videmus,& fontem significat: hic igitur, inquit,fons oculorũ perpetuo manantibus riuis defluxit. Contritionem vero aut casum illum significat cum de fastigio honoris felicitatisq; suae delapsa, & in terram allisa contrita est, aut famis aerumnam, vt cap.4.{Manus mulierum misericordiũ coxerunt filios suos: facti sunt cibus earum in contritione filiae populi mei.}

AIN. L X X.

Oculus meus absorptus est, & non tacebit, eo quod non sit requies. Donec respiciat & videat Dominus de caelo. Oculus meus deuindemiabit super aminam meam prae cunctis filiabus vrbis.

ORIGENIS. Pro eo quod est, {Oculus meus absorptus est,non tacebit,eo quod non sit requies.} Symmachus dixit, {Oculus meus perstitit,& non cessauit eo quod non esset remissio.} Ac septuaginta quidem hoc significant, quamuis oculi prae lacrymarum copia debilitati essent,non tamen intermisi,cum a luctu cessare non possem. Symmachus vero, perseueraui lacrymans, neque intermisi.nam assidua oratio, & lacrymarum contentio Deum ad misericordiam trahit, {Oculus meus deuindemiabit super animam meam,} ORIGENIS. Praecidunt me lacrymae,inquit, velut vitem diligẽs vindemiator.Iuxta Symmachum,inquit, demerserunt me lacrymae, trãslatione ab ijs ducta qui in aquis suffocantur. Sed sustinens sustinebo Dominum quoad conuertat vultum suum super nos. respicere vero Deum, est nos sua inspectione di-

gnari.

gnari. illud vero, § prae cunctis, § interpretatur, § super cunctis, § hoc est in illarum calamitatibus. nam muliebris sexus est virili miserabilior.

AIN. VVLGATA.

Oculus meus afflictus est, nec tacuit, eo quod non esset requies.

OCVLVS meus afflictus est assiduis lachrymis, neq; finem fecit, cum nullum esset a malis, aut dolore laxamẽtum. § Oculus meus afflictus est. § Sensum expressit beatus Hieronymus. verum נגרה, significat etiam effluxit, manauit aquis meus oculus seu fons, (adhuc namque ambiguitatem nominis seruat,) quasi per praeceps emisit aquas: impetu namque currunt aquae cum per decliuem praecipitemq; locũ fluunt. ergo impetum & defluxum lacrymarum ab oculis hoc verbo significare voluit, aut tamquam fluuius defluxit, § nec tacuit. § hoc est, interruptus non est fluuius lacrymarum, § eo quod nõ esset requies. § eo quod non cessaret a lacrymis: nam fonte iugiter redundante, fluuius etiam ipse non interruptus decurrebat. LXX. transtulerunt κατεπόθη, absorptus est, quasi prae lacrymis tabefactus absconditus sit & in imum ac profundum desedetit. aut ex metaphora aquarum, mersus est oculus meus in lacrymis, quasi lacrymae illum texerint, & obruerint. Symmachus ἐπίμεινε, perseuerauit, quasi esset verbum נגר, quod verbum Chaldaica lingua prolongare, differre significat. quod autem nunc se fecisse dicit, hoc superius capite 2. facere suasit, § Deduc, inquit, quasi torrentem lacrymas per diem & noctem, non des requiem tibi, neque taceat pupilla oculi tui, § adeo non modo consilio & verbis, sed etiam factis & exemplo suo persuadebat.

AIN.

Donec respiceret & videret Dominus de caelis.

Donec ille qui opposuerat nubem sibi ne transiret oratio, quasi per rimas quasdam fenestrae me quamuis non aspicientem respiceret, & velo furoris quod obtenderat, per vim lacrymarum ablato, precesmeas attenderet, eisque aditum daret, qui orationi simplici iter obstruxerat.

Vim maximã esse lacrymarum docet, quae clausum licet caeli ostium aperiant, & fenestris quibusdam patefactis ad aspicien

S dum

dum per eas Deum inclinent.nam quod apud nos eſt, ꝉ donec reſpiceret. ꝉ LXX. habent διακύψῃ,quaſi latenter per feneſtrarum rimas inſerto capite reſpexerit,& qui ſepſerat furore viã, ipſe ſibi rimulas ad aſpiciendum aperuerit.

AIN.

Oculus meus depredatus eſt animam meam in cunctis filiabus vrbis meae.

Oculus meus iugi fletu & lacrymis animam habitudinemq; meam depredatus eſt atq; conſumpſit, vt nulla remanſerit habitudinis atque corpulentiae pars, idque propter cunctas filias vrbis meae,quas in captiuitatem abire vidi, & quae commiſerationem propter ſexus debilitatem magis commouebant.

ꝉ Depredatus eſt. ꝉ Metaphora ab ijs ducta,qui vineas depredantur,& ne racemum quidem relinquũt, vt in prophetia ſua
Ierem. 6. dicit capite 6. ꝉ Vſque ad racemum colligent quaſi in vinea reliquias Iſrael. conuerte manum tuam quaſi vindemiator ad cartallum. ꝉ Ideoque LXX. tranſtulerunt ἐπιφυλλιεῖ, ꝉ oculus meus reuindemiabit animam meam.ꝉ ideſt meas vires & habitudinem, ſi qua reliqua fuerat tantis malis, oculus meus prae copia lacrymarũ quaſi reuindemiauit & depredatus eſt atq; conſumpſit,vt nihil remanſerit virium. nec longe ab hoc ſenſu diſcedit Origenes, qui ſic exponit, κατακόπτει με τὰ δάκρυα καθάπερ ἄμπελον ἀκριβὴς τρυγητής, concidunt me lacrymae quemadmodum vitem diligentiſſimus vindemiator; qui ſcilicet ne minimum quidem racemũ praetermittit. At vero Symmachus tranſtulit, κατεπόντισε, demerſit animam meam, quaſi in mare quoddam lacrymarum, idq; pluſquam cunctae filiae vrbis meae; ſic namque & in Hebraeo & in Graeco eſt, παρὰ πάσας θυγατέρας πόλεως, quae ſuapte natura ad luctum & lacrymas propenſae ſunt,vbi quippiam aduerſi contigit. Nonnulli ex Hebraeis ſic interpretantur, oculus meus deturpauit faciem meam.

TSADE.

TSADE. L X X.

Venantes venati sunt me quasi auem omnes inimici mei gratis. Occiderunt in lacu vitam meam: & imposuerunt lapidem super me. Supereffusa est aqua super caput meum; dixi, repulsus sum.

ORIGENIS. Vel ea quae passus est narrat, nam in lacum iniectus est, & quantum in illis fuit, perijt: praeter spem vero saluatus clamabat cum Dauid, § Anima mea sicut passer erepta est de laqueo venantium, § non enim fas erat cadere super terram sine patre illo qui in caelis est, iuxta saluatoris vocem. Vel igitur de se haec dicit, vel etiam cladem populi suā putans. sed quod ait, § gratis, § de ipso conuenienter dicitur: nam illos qua in re violauit? immo vero qua in re non iuuit? § Occiderunt in lacu vitam meam. § OLYMPIOD. Iudaei quidem auctorem vitae interficientes. Daemones vero, animam in inferno eorum consilio. § Posuerunt lapidem super me. § EIVSDEM. Iudaei vt sepulchrum tegerent; daemones vt animam mole peccatorum deprimerent, meliorem vitam contemnere persuadētes. § supereffusa est aqua super caput meū. § EIVSDEM. Super Dominum, variae tribulationes. Super animam, fluctus peccatorum. § Dixi repulsus sum. § EIVSDEM. Dominus quidem propter passionem, cum homo factus esset, humano more loquitur, iuxta illud quod est in psalmis, § factus sum sicut homo sine adiutorio. § anima vero peccatoris hoc propter peccatum dicit.

Psal. 123.
Matth. 10.
Psal. 87.

TSADE. V V L G A T A.

Venatione ceperunt me quasi auem inimici mei gratis.

INSIDIIS & dolis tamquam venatoria arte me velut auem ceperunt inimici mei, idque nullo fructu, nisi vt mihi etiā nihil a me offensi nocerent.

Haec iam quae sequuntur, ad Ieremiae personam pertinere proprie videntur. nam & fraude & dolis inimicorum captus est, cum ipse nihil illis incōmodasset, immo vero & monitis & consilio & precibus iuuare conatus esset, & ab illis in lacum missus. venatione igitur tamquam nihil tale suspicantem ce-

Ierem. 11. perunt. itaq; in prophetia sua dicit, § Et ego quasi agnus mansuetus qui portatur ad victimam, & non cognoui quia cogitauerunt super me consilia. § hoc est igitur venatione ceperunt, quod, non cognoui consilia eorum: fraude ceperũt, insidijs, dolo. § Gratis, § seu nihil a me laesi, seu nullũ commodum ex meo malo habituri, nullum fructum. nonnulli haec de tota gente intelligunt. sed si de tota gente Iudaeorum haec dicta sunt, quomodo gratis capti sint non facile intelligitur. quomodo enim gratis, cum & a Iudaeis Chaldaei offensi sint foederibus violatis a Sedecia rege; aut sine fructu, cum victoribus non minimum commodum sit gentes vicisse, & vrbes regionesque subegisse? De Ieremia igitur commode accipiuntur. quod etiam Origenes vidit.

TSADE.

Lapsa est in lacum vita mea, & posuerunt lapidẽ super me.

Me adhuc viuentem tamquam mortuum in lacum demiserunt, ibique incluserunt, omni spe exeundi penitus adempta, vt ibi contabescerem; & quamuis certum esset, non posse me inde ascẽdere & euadere, tamẽ insatiabili studio me occidẽdi, etiã lapidẽ ad os laci posuerũt, ne vel lumen possem aspicere. § Lapsa est in lacum vita mea. § Hoc de Ieremia in eius libro legimus capite 38. de lapide vero nihil ibi scriptum est. sed ita factum esse credendum est, praesertim cum ita fecerint in

Dan. 6. Daniele. § Lapsa est. § LXX. ἐθανάτωσαν, quasi spe omni salutis priuatus fere mortuus fuerit. quodam modo in possessionem morti me addixerunt, sine vlla redemptionis expectatione. nã Hebraeum verbum hanc quoq; significationem habet, addici ac vendi sine iure vllo redemptionis.

TSADE.

Inundauerunt aquae super caput meum, dixi perij.

Aquae tribulationum & aerumnarum super caput meum iam in lacu positi inundauerunt; quamobrem quod ad meas vires attinet, spem omnem salutis abieci.

§ Perij. § Sensum retinuit interpres. in Hebraico est, נגזרתי, excisus sum, quod LXX. dixerunt ἀπῶσμαι, repulsus sum, sicut in

Psal. 87. psalmo 87. § Sicut vulnerati dormientes in sepulchris, quorum non es memor amplius, & ipsi de manu tua repulsi sunt. § de

manu

manu tua excisus sum, vnde tamquam stamine omniũ vita ducitur ac pendet. quod fabulose gẽtiles de sua Clotho dixerũt. vnde etiam apud Isaiam legimus, abscisum de terra viuentiũ. Isa. 53.
existimaui staminibus vitae speiq; meae de tua manu abscisis nõ me amplius victurum; filum vitae meae non amplius duci, sed de tua manu abruptum esse putaui.

COPH. L X X.

Inuocaui nomen tuum Domine de lacu infimo. Vocem meam audisti, ne abscondas aures tuas ad deprecationem meam; in auxilium meum. Appropinquasti in die qua inuocaui te, dixisti mihi, ne timeas.

De lacu infimo. ʒ Olympiod. quo me coniecerant. ʒ Ne abscondas aures tuas ad deprecationẽ meam. ʒ Eivsdem. Simile est illi de psalmo, ʒ Inclina aurem tuam ad precẽ meam. ʒ ʒ Appropinquasti. ʒ Eivsdem. Dominus noster Iesus resurrectionem suam praedicit, paenitẽs vero haec dicit propterea quod secundum naturam Deus vbique adest. Psal. 87.

COPH. V V L G A T A.

Inuocaui nomen tuum Domine de lacu nouissimo.

Neqve tamen cum me mortuum & de tua manu abscissum existimarem, despondi penitus animum, sed ad te inuocandum me conuerti, non de qualicunque miseria, sed de profundissimo lacu in quo paene mortuus iacebam.

ʒ Lacu nouissimo, ʒ lacum nouissimum nonnulli carcerẽ subterraneum in quo Iudaei vincti a Babylonijs tenebantur: nonnulli allegorice loca horrentia accipiunt in quibus habitabant, aut etiam afflictiones maximas in quibus versabantur; vt etiam in psalmo 87. ʒ posuerunt me in lacu inferiori in tenebrosis & in vmbra mortis, ʒ sed potest ad litteram de Ieremia accipi, & de profundo laci in quẽ coniectus est: ʒ descendit, inquit, Ieremias in coenum. ʒ Psal. 87. Ierem. 28.

COPH.

Vocem meam audisti, ne auertas aurem tuam a singultu meo & clamoribus.

Neque vero mihi dubium est, quin etiam de infimo lacu vocem

cem meam audieris, non enim te quominus audires, aut infimus locus & remotiſſimus, aut debilitata aerumnis vox impedire potuit, qua voce id clamabam, idque precabar, ne auerteres, & clauderes aurem tuam, ab oratione mea, quae non tam verbis contexta erat, quam ſuſpirijs & clamoribus ex imo cordis dolore prodeuntibus.

§ A ſingultu meo. § Hebraei, a reſpiratione mea, quod exponunt, ne claudas aurem tuam quo minus mihi reſpirare, & recreari concedas. ſed melius beatus Hieronymus a ſingultu meo, cui eſt affine quod LXX. verterunt, § a prece mea, § quod autem prius ait, § audiſti, § deinde ſubiungit, § ne auertas, § ſubcontrariũ videtur. nam ſi audiuit, quomodo petit ne auertat aurem? igitur aut ſic intelligendum eſt, vt ſuperius poſuimus, vt ſit quaſi expoſitio quae nam vox illa fuerit, quam audiuit, nempe haec illa erat vox, § ne auertas aurem tuam a ſingultu meo. § Aut hoc dicit, ſicut prius vocem meam audiſti, ſic precor ne iam auertas aurem tuam a meo ſingultu.

COPH.

Appropinquaſti in die quando inuocaui te, dixiſti, ne timeas.

Quamuis in infimo lacu ſepultus terra coenoque obrutus iacerem, tamen appropinquaſti, nec de longe a meo clamore ſtetiſti, ſed proxime ad inuocantem acceſſiſti, vt meam vocem inuocantis exaudires, & iam paene animo fractum confirmaſti, tuaque inſpiratione erexiſti dicens, ne timeas, forti animo eſto, ego enim tecum ſum vt adiuuem te.

§ Appropinquaſti, § prope fuiſti, vt opem ferres ac liberares, Pſal.68. iuxta illud pſalmi 68. § intẽde, § ſeu vt in Hebraeo eſt, § prope eſto animae meae, & libera eã. § adiuuit autẽ illũ & eripuit de lacu, Abdemelech pro eius ſalute regẽ Sedeciã interpellante.

RECHS. L X X.

Iudicaſti Domine iudicia animae meae, redemiſti vitam meam. Vidiſti Domine turbationes meas, iudicaſti iudicium meum. Vidiſti omnem vindictam eorum, & omnes cogitationes eorum aduerſum me.

ORIGENIS. Iudicauit Dominus cum pſeudoprophetam illum interfecit, & Regem tradidit. Quod ſi de Chriſto intelli-

intelligatur, tunc iudicauit cum gentem illam in captiuitatẽ tradidit. OLYMP. Ex persona Christi, quia Iudaei pro sceleribus in illum admissis dignas poenas persoluerunt, cũ in Romanorum potestatem dati sunt. Ex persona vero eorum, qui saluati sunt per Christum, propter resurrectionem, quia principẽ huius saeculi damnauit. ❡ Redemisti vitam meã. ❡ OLYMPIOD. Ex persona Christi propter resurrectionem. saluatus vero dicit illi, redemisti me cum dignatus es mea debita ipse dissoluere. ❡ Vidisti Domine turbationes meas. ❡ EIVSDEM. Quas vel Dominus ipse a Iudaeis perpessus est, vel ab hostibus inuisibilibus anima.

RECHS. VVLGATA.

Iudicasti Domine causam animae meae, redemptor vitae meae.

CAVSAM animaę ac vitae meae quum de vita & de capite decernerem, tamquam optimus patronus ac defensor iudicasti, & iudicio defendisti; cum tu Redemptor esses vitae meae, ad quem tamquam ad Dominum ius serui sui liberandi & redimendi ac defendendi pertinebat.

❡ Iudicasti. ❡ Idem est in Hebraeo ac decertasti, cum contentione summa peregisti, ac peruicisti. tamquam videlicet aduocatus ac defensor. hoc est, ipso exitu & meam causam iustam esse, & inimicorum meorum iniustam & iniquã comprobasti. ❡ Redemptor vitae meae. ❡ Redemptor est, ad quem ius redemptionis spectat, cuius est a seruitute quempiam asserere, quod vel eius potestatis ille sit, quem redimit, vel alio iure ad illum pertineat, puta cognationis ac generis. hic vero redemptor vocatur Dominus, quod qui redimitur, illius cultor ac de illius populo & sub eius potestate sit. cum tu ergo Deus meus sis, tui muneris est tuum cultorem redimere, & ab iniuste opprimentibus liberare. Similiter de tota gente Iudaeorum dixit Ieremias, ❡ Calumniam sustinent filij Israel & filij Iuda simul, omnes qui ceperunt eos tenẽt, nolunt dimittere eos. Redemptor eorum fortis, Dominus exercituum nomen eius, iudicio defendet causam eorũ. ❡ Redẽptor eorũ, quia ad eius gẽs Iudaea ius pertinebat, cum ille Deus eorũ esset, illi cultores. Ierem. 50

RECHS.

RECHS.

Vidisti Domine iniquitatem illorum aduersum me, iudica iudicium meum.

Perspecta tibi illorum est iniquitas qui me iniquo iudicio oppresserunt addixeruntq; morti, vt in lacum iniectus ibi tabescerem. Tu igitur sapiens ac iustus iudex iudica iudicium meum, & de meis inimicis vindictam sume.

§ Iniquitatem illorum. § τὰς ταραχάς, hoc est, perturbationes dixerunt LXX. quo nomine item significarunt iniquitatem iudicij, quod qui peruersum iudicium reddit perturbet iustitiã, & eius normam confundat. Iuxta illud Iob; μὴ ὁ κύριος ἀδικήσει κρίνων; ἢ ὁ τὰ πάντα ποιήσας ταράξει τὸ δίκαιον; § num Dominus iniuriam faciet iudicans? aut qui omnia fecit, perturbabit quod iustum est? §

Iob 8.

RECHS.

Vidisti omnẽ furorẽ, vniuersas cogitationes eorũ aduersũ me.

Nec te latuit illorum in me animus malignus, & ira quam animo clausam habebãt, & cogitata quibus mala mihi inferre animo versabant, tibi optime perspecta fuerunt.

§ Omnem furorem. § Odium proprie & iram, & animum vlciscendi, & malefaciendi. ideoque LXX. transtulerunt, ἐκδίκησιν αὐτῶν, vltionem illorum, malignitatem, quam animo versabãt. atque haec quidem in animo latebant: neque tamen maledictis temperabant, nam sequitur.

CHSEN. L X X.

Audisti opprobrium eorum, omnes cogitationes eorum aduersum me. Labia insurgentium mihi, & meditationes eorum aduersum me tota die. Sessionem eorum & resurrectionem eorum inspice in oculos eorum.

OLYMPIOD. Haec verba prophetice ad personam Domini referuntur, de ijs quae passus est a Iudaeis. Dicuntur etiam ex persona animae ipsum Patrem aduersus inuisibiles hostes interpellantis. § Sessionem eorum & resurrectionem eorum inspice in oculos eorum. § EIVSDEM. Nam simulant nonnunquam pacem, quo inflationem aut negligentiam animae suggerant, tamquam quae iam ad impassibilitatem

tem

tem mortificationemque passionum peruenerit. deinde subito aduersus illam insurgunt. ⟨Inspice in oculos eorũ.⟩ EIVSDEM. Hoc est in Scopum atque propositum eorum. quicquid enim faciunt, ad perniciem animae faciunt. ORIGENIS. Illud, ⟨Ego in oculis eorum,⟩ hoc est, grauis eram illis etiam ad videndum.

Origenes legit, ἐγὼ ἐν ὀφθαλμοῖς αὐτῶν. Olymp. δὲ βλέπων ἐν ὀφθαλμοῖς αὐτῶν vera lectio, ἐγὼ ὁ ψαλμὸς αὐτῶν.

CHSEN. VVLGATA.

Audisti opprobrium eorum Domine, omnes cogitationes eorum aduersum me.

AVDISTI item opprobria quae in me elato spiritu & superbo iactabant, sese efferentes, & mihi meas aerumnas & aduersos casus, quasi vitium obijcientes, ne misero quidem parcentes. quicquid se aduersum me facturos arbitrati sunt, & cogitauerunt; optime nosti.

⟨Opprobrium.⟩ Proprie est cum alicui vitium aliquod vel morum vel condicionis vel miseriae alicuius obijcitur, cum elatione ac tumore eius qui obijcit, & contemptu despectioneq; eius cui obijcitur.

CHSEN.

Labia insurgentium mihi, & meditationes eorum aduersum me tota die.

Audisti etiam non modo quae aperte locuti sunt inimici mei, verum etiam quae in secreto cordis & animi penetralibus cogitauerunt.

⟨Labia insurgentium.⟩ Quae clara voce locuti sunt, quaeque submissius intra se submurmurauerunt. Aut quae locuti sunt, & quae cogitauerunt in cordis intimis. insurgentes autem hostes & inimici vocantur, quod aduersus eos quorũ hostes sunt, insurgant, eisque obsistant, vel eos aggrediantur vt noceant.

CHSEN.

Sessionem eorum & resurrectionem eorum vide; ego sum psalmus eorum.

Quicquid faciunt seu cum sedent & otiosi sunt, seu cũ surgunt & negotijs incumbunt, vide, & pro factis illorum redde illis vicem. nam siue cum vacant, siue cum agunt aliquid, & in otio & in negotio, de me loquuntur, & ego sum illorũ fabula.

Psal. 138. § Sessionem eorum, § cum quieti sunt. & otiosi. sic psalm. 138. § Tu cognouisti sessionem meam & resurrectionem meam. § Resurrectio autem aggressionem operis aut negotij significat. seu cum feriati sunt, seu cum seria tractant, in me dicta iocosque iaciunt. sic superius quoque dixit, § factus sum in derisum omni populo meo, canticum eorum tota die. § & psalmo
Psal. 68. 68. § Aduersum me loquebantur qui sedebant in porta. § quod eorum est qui seria tractant, § & in me psallebant qui bibebāt vinum. § quod genio indulgentium, & otiosorum est.

THAV. L X X.

Retribue eis retributionem Domine iuxta opera manuum suarum. Reddes eis protectionem cordis, laborem ipsis. Persequeris eos in ira, & absumes eos de sub caelo Domine.

Ierem. 15. ORIGENIS. Dixit etiam supra, § Consume illos, & erit tuus sermo mihi in laetitiam & gaudium cordis mei. § Haec euenerunt, post insidiosa illa consilia aduersus Saluatorem inita, quū vbique dispersi sunt. venit enim super illos om-
Matth. 23. nis sanguis iustus effusus super terrā. ergo verbum illud, § Consumes, § significat illorum cultum finem accepisse, neq; adhuc gentem Dei censeri. § Protectionem cordis laborem ipsis. § ORIGENIS. Nam dabis eis laborem, vt sentiant, quantus tu eras cum eos protegeres, vt te denuo quaerant; sin minus, persequeris eos in ira tua.

Videtur legisse συντελέσεις pro ὑπερασπισμὸν... [margin: Videtur legisse συντελέσεις pro ἐξαναλώσεις.]

THAV. L X X.

Reddes eis vicem Domine iuxta opera manuum suarum.

AEQVAM eis mercedem repende. fac vt eorum malefactis poena respondeat.

THAV.

Dabis eis scutum cordis, laborem tuum.

Haec autem aequa erit vicissitudo quam illorū malefactis rependes, vt cum illi me fabulam fecerint, & meos aduersos casus cum ioco ac risu quasi carmen canere omni tempore soliti sint, tu des illis scutum, cōpressionem nempe & anxietatē cordis, quae maerore tamquam tegumento quodam & scuto tegat

tegat & obumbret corda eorum, vt in moleſtia ſui cordis de me pſallere non vacet. Dabis eis etiam laborem tuum atque defatigationem, vel vt eos defatigari facias, & de labore nihil proficere: vel tu ipſe defatigeris & ceſſes, neq; illos adhuc ſuſtineas, & pati vlterius deſinas.

§ Dabis eis ſcutum cordis. § Haec viciſſitudo non ſatis neq; in latino neq; in Graeco exprimi potuit vt in Hebraico expreſſa eſt, cum maxima ſermonis gratia & elegantia. nam ſcutum & pſalmus ſimiles fere voces in Hebraeo ſunt, נגינה מגינה quia Negina. igitur illis Ieremias pſalmus & carmen & fabula factus erat, Megina. petit vt viciſſim illis a Deo detur ſcutum cordis. ideſt pro, נגינה detur מגינה, & ſic aequa ſit retributio. מגינה etiam ambigua vox eſt, nam & ſcutum, & dolorem ac maerorem indicat. ita vt non ſolum in ſimilitudine vocis gratia ſit, ſed etiã in ambiguo. nam ex ſcuto maerorem ac moleſtiam voluit intelligere. vt ſolemus Itali curas & anxietates, occupationes cordis appellare. non ſolum autem in voce gratia ſumma quaeſita eſt, verum etiam rerum ipſarũ apta viciſſitudo. nam qui cum laetitia cordis de alienis malis gaudebant, iuſtiſſime, moeror cordis illis redditur, vt in ſuo moerore de alienis malis laetari deſinant. Haec autem & ſi qua eiuſmodi alia ſunt, quibus imprecari malum propheta videatur, ex diuino potius oraculo, quã ex prophetae indignatione dicũtur; vt ea non iratus animus fundere, ſed diuinae ſententiae cõſcius praedicere videatur. nam cum Deo coniũctus animus, ac diuinus propemodum factus, quae dicit non tam humanae infirmitatis ſunt, quã praedictionis diuinae. & ſi ira nonnunquam coniuncta eſſe videatur, id fit vt indicio aliquo ſaltem humano & ex humanis affectibus ducto demõſtretur diuinae vltionis iuſtitia. nõ enim ſuam iniuriam vlciſci propheta cupiebat, ſed in ſua iniuria diuinam offenſam execrabatur. Sic autem haec euenerunt. nam & Sedecias qui illũ in lacum miſit, captus & oculis effoſſis excaecatus; & principes qui Sedeciam ad iniuriã prophetae impulerunt ſimul capti & occiſi ſunt; & Phaſſur ſacerdos captiuus in Babylonem ductus eſt ibiq; mortuus. § Laborem tuũ. § Hoc etiam ad viciſſitudinem pertinet, ac peccati retributionem, de qua ſuperius dixit, § Reddes eis vicem Domine. § quẽ

Ierem. 52. Ierem. 20.

vero laborem Latinus interpres vertit,& item LXX. Hebraei maledictionem tuā.intelligendam putant.& est diuina maledictio poena conueniens opprobrijs illorū quae in prophetā conijciebant,de quibus opprobrijs dixit,{ Audisti opprobriū eorum Domine, { qui igitur prophetam,opprobrijs feriebāt, in eos vt Deus maledictionem iaculetur petit; vt scilicet nihil eis prospere contingat,omnia infeliciter succedant.Ceterum quia beatus Hieronymus vertit,{ laborem tuum, { & itē LXX. labor, defatigatio intelligenda est. sed quomodo Dei defatigatio ? neque enim aut laborat, aut labore fatigatur Deus, & propter fatigationem intermittit opus suum, quod hominibus accidit.ergo defatigatio Dei illa est quā Deus immittit,non quam ipse patitur.imprecatur ergo vt fatigentur, & deficiant, nihilque ex suo labore proficiant. Aut humano more dixit, { Laborem tuum.{ nam quia fatigatio in hominibus cessationem ab opere facit, per fatigationem Dei, eius cessatio significata est. dabis ergo eis laborem tuum, vt ipse fatigeris & prae defatigatione cesses,neque illos vltra sustineas, eosq; tamquā onus molestissimum ferre posthac renuēs proijcias,vt huius ipsius prophetae cap.6. & Isaiae ca.1.{ Laboraui sustinēs, { hoc est fessus sum illos ferendo ac sustinendo;nō amplius illos feram. Laborem itaque tuum da illis, vt illos non sustineas,neque vltra patienter feras, sed deponas & a te proijcias.

THAV.

Persequeris in furore, & conteres eos de sub caelis Domine.

Quod si fugerint,& iram tuam euadere nisi fuerint, persequeris eos fugientes,& in furore velut igneo quodam vapore in eos afflato,tamquam stipulam leuemq; materiam comprehendes,& destrues ac penitus consumes, delebisque de terra, ita vt ne vnus quidem eorum supersit.

Psal. 82. { Persequeris in furore. { Sic fere dictum est psalmo 82.{Deus meus pone illos & rotam, & sicut stipulam ante faciem venti, sicut ignis qui comburit syluam, & sicut flamma comburens montes,ita persequeris illos in tēpestate tua,& in furore tuos turbabis eos. { nam furor figurate dictus est tamquam igneus quidam vapor & halitus e naribus emissus, qui stipulā adurit.

Aut

Aut in furore tamquã caligine furoris in eos immissa, vt quo fugiant non videant, persequeris, sicut superius dixit, § Operuisti in furore & percussisti. § § De sub caelis. § Hoc est paenitus, vt nemo supersit, neque vllo in loco sint, aut inueniantur. quod certe ita factum est. nam LXX. illis annis omnes illi Ieremiae inimici perierũt, neque vllus in terram suam rediit, simili exemplo atque in illis quadraginta annis in deserto generatio illa praua atque peruersa, praeter Iosue & Caleb filiũ Iephonne, omnis interiit.

THRENORVM IEREMIAE IVXTA LXX.

CAPVT IV.

ALEPH.

Quomodo obscurabitur aurum, mutabitur argentum bonũ, effusi sunt lapides sancti, in principio omnium exituum?



OLYMPIODORI. Euangelica nempe doctrina. Initio quarti huius elementorum ordinis, pro claris viris praecipue lamentationem suscepit, illorum claritatem obscuratam esse dicens, & tamquam effusam aquam euanuisse. § Mutabitur argentũ bonum. § EIVSDEM. Lex Mosaica. bonum vero, quia sola a Deo inspirata, quamuis leges apud homines multae essent. § Effusi sunt lapides sancti. § ORIGENIS. Sancti dicũtur, quia electi propter patres. aut propter sanctos qui cum Ioacim capti sunt, quos ficubus bonis comparauit. ET PAVLO POST. Exituum vero eorum qui a sancta terra ducũt in perditionẽ, & ad spiritualem Babylonium, vt discant non blasphemare. Conuenit etiam haec lamentatio in eos qui a Dei cultu recedunt, si quidẽ fuerint illustres, & ceteris se erroris duces praebeant, relinquentes fontem aquae viuae, & in lacus contritos versi, qui continere nequeunt. vnde merito effunduntur in errore aquam non continentes. OLYMPIOD. Fluidi facti sunt singuli in conuersationis proposito quod arripuerant. Accusationem

Ierem. 24
1. Tim. 1.
Ierem. 2.

ſationem etiam hic ſermo habet aduerſus daemones qui haec efficiunt.

ALEPH. VVLGATA.

Quomodo obſcuratum eſt aurum, mutatus eſt color optimus, diſperſi ſunt lapides ſanctuarij in capite omnium platearum?

QVOMODO ſplendor ille auri pallore obducto obſcuratum eſt, & color ille probatiſſimae tincturae euanuit ac perditus eſt, & lapides illi gemmaeque ſanctuarij, quibus ſacerdotales veſtes ornabantur, diſperſi ſunt ac volutantur in coeno & luto in capite platearum omnium, in quibus quod eo viae deferuntur, abundat lutum?

§ Quomodo obſcuratum eſt aurum. § Hebraeorum plerique hanc lamentationem proprie in Ioſiam compoſitã eſſe dicunt eo quod ſcriptum ſit in ſecundo libro Paralipomenon capite 35. § Et vniuerſus Iuda & Ieruſalem luxerunt eum, Ieremias maxime, cuius omnes cantores atque cantrices vſque in praeſentem diem, lamentationes ſuper Ioſia replicant, & quaſi lex obtinuit in Iſrael, ecce ſcriptum fertur in Lamentationibus. § Haec autem opinio ex eo maxime confirmatur, quia circa finem huius lamẽtationis ſcriptũ eſt, § Spiritus oris noſtri Chriſtus dominus captus eſt in peccatis noſtris. § quod de Ioſia dictum accipiunt non ſolum Iudaei, verum etiam de noſtris multi, ijque nobiles. Sed an ad Ioſiam pertineat cum ad eum locũ peruentum fuerit diſſeretur. interim ſatis erit dixiſſe a clarorum ac nobilium virorum clade initium ſumere lamentationem, famis etiam incommoda deplorare. Illud autẽ animaduertendum eſt, aurum obſcuratum, euaneſcentem colorẽ volutatos per coenum lapides pretioſos, figurate accipi oportere. his enim imaginibus principum & clarorum virorum aerumnas & miſeriam deſcribit. § Mutatus eſt color optimus. § LXX. tranſtulerunt ἀργύριον. quippe legerunt in Hebraeo non כתם, ſed כסף. color vero optimus tincturã indicat, qualis erat coccini vel hyacinthini; quorum vtroque vſus erat in veſte ſacerdotali. ille igitur tincturae optimae color mutatus eſt. in quo B. Hieronymus Aquilam ſequitur, qui hoc Hebraeũ nomen

men solet βάμμα, hoc est, tincturā transferre. ergo quia in vestibus & aurū erat & coccū & hyacinthus, & gemmae, omniū horū trium mentionē facit. § Dispersi sunt lapides sanctuarij. § Lapides sanctuarij gemmae illae erant, rationalis & super humeralis. per quos Hebraei intelligunt figurate dictos filios Sion: quos fortasse ideo dicit dispersos esse in capite omnium platearū, quia iam de filijs & paruulis dixerat, animas eorum defecisse prae fame, in capite omnium compitorum. Hos igitur filios Ierusalem tamquam lapides sanctuarij, fame & gladio necatos, proiectos esse in compitis viarum dicit, proculcatos & luto coenoque plenos. vt etiam in prophetia sua dixit, § Et populi quibus prophetant erūt proiecti in vijs Ierusalē prae fame & gladio, & non erit qui sepeliat eos. § Et Isaias, § filij tui, § inquit, § proiecti sunt, § dormierunt in capite omniū viarū sicut oryx illaqueatus, pleni indignatione Domini. Ierem. 14. Isa. 51.

BETH. L X X.

Filij Sion inclyti, eleuati in auro, quomodo deputati sunt in vasa testea, opera manuum figuli?

ORIGENIS. Qui diuitijs, inquit, pollebant, vel ipso quoque auro pretiosiores, quo nam modo vasis vilibus atque fragilibus, in captiuitatem abducti, comparati sunt? His autem eos similes dixit etiam cum descendens in domum figuli acceptū vas confregit. Comparat eos Esaias quoque ciuitati corruenti, § & ruinae, inquit, eius erunt tamquam fragmenta testacei vasis. § § Eleuati in auro. § OLYMP. Ex similitudine eorum quae appenduntur in statera, sermonē sumpsit, qui ex aduerso appēdebātur, inquit, hoc namq; significat, § Eleuati in auro, § hoc est in quauis pretiosa re, quomodo facti sunt vasa fragilia, ad peccatorū impulsum confracta, vel ex eo quod in praestātioris vitae proposito nō permanserint. Ierem. 19. Esa. 30.

BETH. V V L G A T A.

Filij Sion inclyti & amicti auro primo, quomodo reputati sunt in vasa testea opus manuum figuli.

FILII Sion adeo pulchri vt lapidibus pretiosis aequari possent, quorum species adeo splendebat, vt auro primo ac pro-

ac probatiſſimo amicti viderentur, quomodo in tantam deformitatem ignobilitatemque peruenerunt, vt pro vaſis teſteis haberentur, quae ex viliſſima ignobiliſſimaque materia figuli manibus efformantur & finguntur?

§ Filij Sion inclyti. § Iam declarat quos intellexerit auri nomine atque gemmarum, § filij, § inquit, Sion inclyti, aut pretioſi, ſic enim habetur in Hebraeo. nam quia lapides ſanctuarij diſperſos eſſe dixit, his lapidibus filios Sion pretioſos comparauit & recte, nam ſimilia ſunt nomina in Hebraeo, filij inclyti ſeu pretioſi, & lapides pretioſi. & praeclare filij lapides dicuntur. vt enim lapidibus aedificium conſtruitur, ſic filijs cognatio propagatur. quamobrem filiorum ſucceſſionem generisq; propagationem ſcriptura ſolet aedificationem dicere, vt in Exodo de obſtetricibus, § aedificanit eis domos, § hoc eſt filios tribuit & genus earum propagauit, apta & conuenienti pietatis mercede, vt quae alienos filios ſeruabant, ſuos haberent.

[Margin: בנים היקרם אבנים היקרים Banim haiecarim. Abanim haiecarim. Exod. 1.]

§ Et amicti auro primo. § Amictos dixit beatus Hieronymus מסלאים. LXX. vero, ἐπηρμένοι ἐν χρυσίῳ, § elati in auro, § quod puto ſignificare apud illos, appēſi in auro, hoc eſt aequati ponderi auri, aequati auro, tam pretioſi quam aurum primum ac probatiſſimum, quod aquila ſolet κιῤῥὸν dicere, fuluū. id enim putat eſſe פז quod alij δόκιμον, ideſt probatum dixere. Alij, qui conferebantur, & comparabantur cum auro probato. vt ἐπηρμένοι ſignificet, qui efferebantur, laudabantur. commendabantur vt aurum probatiſſimum, opponebantur auro, vt intellexit Gregorius Nazanzenus, in pacifica oratione prima, ἀντισταθμώμενοι, inquit, ἐν χρυσίῳ. bene etiam Olympiodorus, ἀντισταθμιζόμενοι, econtrario appenſi. Beatus Hieronymus intellexit tamquam ſi eſſet a שלל quod veſtem ſignificat: ideo tranſtulit amictos. § Quomodo. § Affectum habet dolentis de commutatione & viciſſitudine alias vix credibili, & longe diſſimili.

§ In vaſa teſtea. § quae nullius pretij ſunt, & facile confringuntur, & confracta nulli ſunt vſui. nam fractum ex metallo vas, & concinnari poteſt, & metallum vſui eſt. at vero vas teſteum fractum, neque vſum habet vllum, neque concinnari vllo modo licet; quod ipſe Ieremias facti ſui figura praeſignauit, quum lagunculam teſteam in valle filij Ennom confregit.

[Margin: Ierem. 19.]

GIMEL.

GIMEL. L X X.

Etiam dracones nudauerunt mammas, lactauerunt catulos suos. filiae populi mei in incurabile, quasi struthio in deserto.

ORIGENIS. De fame illustrium puerorum haec dicit, tamquam Ierusalem ne ad ferarum quidem belluarum exemplum mammas illis praebere potuerit. nam eius mali magnitudo etiam naturae obliuionem efficit. Dracones autem vel iuxta Symmachum Sirenas, nequam spiritus intelliges, quae suos catulos malo lacte nutriunt. tales autem sunt qui doctrinis impiorum instituuntur. § Nudauerunt mammas. § OLYMPIOD. Venenata dogmata, aut peruersas expositiones. § Lactauerunt catulos suos. § EIVSDEM. Homines qui illis fidem adhibent. § Filiae populi mei in incurabile. § ORIGENIS. Nam quomodo non sint filiae, qui effeminati sunt? quos etiam Pharao conseruat masculis occisis, cuius doctrinã Deo carentem depascuntur, cum tamquam struthocameli auolare non possint, sed per terram semper currant. nam struthionem sic transtulit Symmachus. Horum vero doctores non incommode Sirenas dixit. nam iuxta externas fabulas illae per voluptatem quicunque occurrissent interficiebant, vt etiam infixo per morsum veneno dracones. Illis igitur praeclaris scilicet magistris obijcit, ne ad harum quidem ferarum similitudinem erga suos auditores studium ostendisse. § Filiae populi mei. § OLYMPIOD. Illae animae quae pestiferas eorum disciplinas exceperunt. § Quasi struthio in deserto. § EIVSDEM, propter inopiam auxilij laqueis captae.

GIMEL. V V L G A T A.

Sed & lamiae nudauerunt mammam, lactauerunt catulos suos: filia populi mei crudelis quasi struthio in deserto.

ETIAM ipsae ferae, tetraeque belluae quales lamias ferunt, & saeuissimi dracones, quum viderint catulos suos esurientes, mammas appetere, naturae vi atque pietate commotae, & saeuitiae tãtisper oblitae, ex theca sua mammas educunt, & lac libentissime praebẽt. at vero filia populi mei & ad

misericordiam ac pietatem nata,& in ea educata, necessitate famis vrgēte, puerorum suorum & maternae naturalisq; pietatis oblita est,& lac illis cibumque negauit,sicque filios suos depulit,quasi struthio syluestre animal, & desertis assuetum, quod relictis pullis suis, eorum curam negligit & salutem non curat.

{Lamiae,{ תנים in Hebraeo est, quod nomen non vno modo transferunt,nam δράκοντας,& hoc loco & alibi LXX. verterūt: nonnumquam vero Sirenas, vt Esaiae 13. καὶ αἱ σειρῆνες ἐν ναοῖς ἡδονῆς. B. Hieronymus solet dracones vertere; sed hoc loco singulariter transtulit lamias,quomodo Symmachus in Esaiae 34. transtulit verbum Hebraeum לילית, quam alij interpretes verterunt λαμίαν,furiam. sit ne vero lamia, quodve animal sit ambigitur. Dion Chrysostomus graecus sophistes, in libyca fabella, lamias esse animalia quaedā in intima Africa scribit, muliebri facie,vberibus totoq; pectore adeo specioso, vt nulla pictoris arte similes effingi queant: quibus retectis, homines in fraudem alliciant,captosq; deuorent.videre licet apud eum auctorē plura.teterrimum autem esse animal & biforme monstrum,& sibilum edere persimilem draconi. ex quo sibilo puto Symmachum & LXX.nonnumquā Sirenas vertisse.quod autem hic est,{ nudauerunt mammas,{ & LXX.dixerunt ἐξέδυσαν,{ detexerunt,{ ex theca quodammodo extraxerunt, id non dissentit a Dione,qui licet non de mammis dicat, reliquū tamen corpus squamis contectum asserit; vt si squamae etiam in pectore sint,non absurde de mammis dicatur ἐξέδυσαν, detexerunt.Libyca autem esse animalia etiam Theodoritus ait in caput decimum Ieremiae. De lamia fere similia Philostratus dicit,de vita Apollonij libro quarto.{ Filia populi mei crudelis quasi struthio in deserto.{ B. Ioannes Chrysostomus in trigesimum caput Iob de struthione sic dicit, στρουθοὺς τοὺς στρουθοκαμήλους λέγει, ὡς καὶ σύμμαχος ἐξέδωκεν, φιλέρημα δὲ τὰ ζῶα. struthiones, inquit, struthocamelos dicit, vt etiam Symmachus edidit. animalia vero sunt ea in desertis assueta. Quid autem crudelitatis habeat struthocamelus, & quomodo sit in pullos suos saeuus,forte ex Iob intelligi potest,qui de hac bellua ver-
Iob 39. ba faciens,{ Quando,inquit, derelinquit oua sua in terra, tu

forsitan

forsitan in puluere calefacies ea? obliuiscitur quod pes conculcet ea. duratur ad filios suos quasi non sint sui. ❡

DALETH. L X X.

Adhaesit lingua lactentis ad palatum eius in siti: paruuli petierunt panem, qui frangat non est eis.

ORIGENIS. Haec passi sunt & cum obsiderentur, & cum captiui ducerentur. Dici autem non absurde potest etiam fame illos vexatos esse, non panis & aquae iuxta propheticum eloquium, sed audiendi verbi Dei. ideo de eorum nuper genitis infantibus prophetat. Amos 8.

DALETH. V V L G A T A.

Adhaesit lingua lactentis ad palatum eius in siti: paruuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis.

INFANTVM lingua qui lacte nutriebantur, cum ab inedia materna vbera exaruissent, adhaesit ad palatum prae siti. paruuli quorum grandiuscula aetas solidiore cibo nutrienda erat, petierunt panem, neque erat qui eis vel minutum frustulum quod tantulae aetati ad famem sedandam satis esset, frangeret, atque porrigeret.
Hoc versu exponit quod superius dixerat filiam populi sui Lamijs crudeliorem fuisse: in eo, inquit, crudelior Lamijs fuit, quia cum suis catulis illae lac praebeant, ista suis infantibus non praebuit. saeuior etiam struthocamelis, cum panis tantillum ne minusculae quidem aetati porrexerint; & cui indulgere naturalis amor persuadet, ei ne minima quidem ac necessaria victus adiumenta praebuerit.

HE. L X X.

Qui vescebantur delicijs, perierunt in exitibus: qui nutriebantur in cocco amplexati sunt stercora.

ORIGENIS. Iuxta historiam, ad ea redijt quae illis in captiuitate contigerunt. iuxta interiorem vero sensum, de fame verbi ad docendum pertinentis loquitur. ❡ Qui vescebantur delicijs. ❡ ORIGENIS. Non enim adeo miserabiles erãt pauperes fame vexari. Hos etiam luget Paulus, ❡ quo- Rom. 9.

rum,inquit,est adoptio & gloria. ⟅nunc enim vana meditantes,neque Moysis neque prophetarum delicijs fruuntur, iuxta
Psal. 36. ta illud,⟅Delectare in Domino.⟅ nullus est enim apud eos qui illis vitale verbum coquat, neque saginati vituli sunt participes,quamuis ipsi illum occiderint.Exitus vero ipsas dispersiones vocat,aut legalium scripturarum circuitus. OLYMPIOD.
Galat. 3. Mutati sunt de sententia.vel sic,cum spiritu coepissent,carne consummantur.nam virtutem aggredi atque incipere multorum est,sed perficere paucorum. ⟅Qui nutriebantur in cocco amplexati sunt stercora.⟅ ORIGENIS. Nutriebantur prius in cocco, effundendum Saluatoris sanguinem ex propheticis praedicationibus audientes. & ijdem nunc, ex terrenis sensibus atque intellectibus indumēto tamquā ex laceris consuto pannis induti,regia veste abiecta, quam per coccū significat, suis peccatis exaruerunt,maculata carnis tunica vestiti.

HE. VVLGATA.

Qui vescebantur voluptuose, interierunt in vijs: qui nutriebantur in croceis, amplexati sunt stercora.

QVID autem de nobilibus loquar? qui cum delicate vescerentur vt illorum nobilitas poscebat,interierūt, & tamquam ignobilia corpora proiecti sunt in coeno platearum.principum quoque liberi ac regum filij,qui prius in coccino croceisque vestibus ac fascijs a baiulis, ac nutritoribus gestabantur, in fimo ac luto animam agentes procubuerunt. ⟅Qui vescebantur voluptuose,⟅ delicatis cibis & lautis vtebantur. ⟅Interierunt in vijs.⟅Quasi stupidi & attoniti, & semimortui in platearum luto iacuerunt. LXX. ἠφανίσθησαν.pristinum aspectum ac faciē amiserunt,tabe inediaq; consumpti. ⟅Qui nutriebantur in croceis.⟅ nutriri puerorum est,& nobilibus pueris in scriptura tribui solet, quos reges & principes
4. Reg. 10. apud alios nutriebāt:vnde in Samaria fuisse nutritores Achab legimus.proprie autem gestari,& baiulari significat:nam nu-
Ruth 4. tricis munus erat baiulare puerum. Vnde de Ruth vetula dicit Scriptura, fuisse nato Obed εἰς τιθηνὸν in nutricem: neque enim credendum est illam effeta iam aetate lactasse puerum, sed nutrix dicitur quia illum gestabat.vnde B.Hieronymus vt magis

magis rem explicaret, alterũ nomen addidit, ʒ nutricis, inquit, ac gerulae fungebatur officio. ʒ ideoque אמן verbum Hebraeũ hoc loco positum nonnumquam LXX. solent transferre αἴρειν, tollere, gestare, vt apud Esaiam 60. καὶ αἱ θυγατέρες σου ἐπ' ὤμων ἀρθήσονται, ʒ & filiae tuae in humeris gestabuntur. ʒ ergo, ʒ qui nutriebantur in croceis. ʒ hoc est, qui in vestibus croceis vel super vestes croceas gestabãtur pueri nobiles ac Regij, vel a nutritoribus seu nutricibus baiulabantur croceis vestibus indutis, ita vt super croceis gererentur. ʒ In croceis. ʒ Croceũ hoc loco dixit interpres, colorẽ quẽ coccinũ solet trãsferre. vnde LXX. dixerunt, ἐπὶ κόκκου, qui nutriebantur in cocco. ʒ Amplexati sunt. ʒ apte dixit: nã puerorum est quũ geruntur amplexari gerulos vt firmius gerantur. ideoq; congrue respondet verbo nutriendi, quod vt diximus gerendi significationẽ habet. Esa. 60.

VAV. L X X.

Et magnificata est iniquitas filiae populi mei super iniquitatem Sedomorum, quae subuersa est quasi cursim. & non laborauerunt in ea manibus.

ORIGENIS. Symmachus illud, ʒ quasi cursim, ʒ transtulit, ʒ de repente. ʒ & illud, ʒ non laborauerunt, ʒ ʒ quam non vulnerauerũt. ʒ quid enim diuino verbo velocius, dicente, ʒ Ecce relinquitur vobis domus vestra deserta, ʒ & soli voluntatis momento tradidit? Iniquitas porro Ierusalem super iniquitatem Sodomorum magnificata est: nam illi legem tantummodo naturalem habebant, hi vero etiam scriptã ac prophetas, & illa omnia quae apud ipsos admirabiliter gerebantur. Atque illi quidem in angelos peccauerunt, & in homines similes, hi vero in Saluatorem ipsum ac Redemptorem, qui olim quidem ex Aegypto redemerat, nunc vero ex daemonũ cultu, si illum qui ad eos praecipue venerat, suscepissent. ʒ non enim sum missus, inquit, nisi ad oues quae perierunt domus Israel. ʒ ʒ Quae subuersa est quasi cursim. ʒ OLYMPIOD. Nam Sodomorum euersio velox ac repentina fuit. ʒ Et non laborauerunt in ea manibus. ʒ OLYMP. Pro eo quod est, in male faciẽdo non sunt defatigati, idq; Deo illorũ peccata patienter ferẽte. eum qui similiter atq; illi peccauit, similiter punit. Matth. 23. Matth. 15.

VAV.

VAV. VVLGATA.

Et maior effecta est iniquitas filiae populi mei peccato Sodomorum, quae subuersa est in momento, & non coeperunt in ea manus.

ET longe maior fuit poena atq; vindicta congregationis populi mei, quã poena & vindicta Sodomorum. neque enim ibi obsidio diutius producta est, sed in momento subuersa; neque manus coeperunt in ea sagittas aut lapides aut tela vlla iacere, sed sine iactu vllo teli aut sagittae perdita atque euersa est, neque aut fames ex obsidione longa, aut vulnera ex telorum sagittarumve coniectu facta sunt.

§ Iniquitas filiae populi mei. § Iniquitas nonnumquam in Scriptura pro poena iniquitatis accipitur, vt in Genesi dicit Cain,
Genes. 4. § maior est iniquitas mea quam vt veniam merear. § quod aliqui sic intelligunt, maior est poena, quam vt eam ferre possim.
1. Reg. 28. sed manifestius primo Regum 28. Saul ad pythonissam diuinare metuentem ait, viuit Dominus, quoniam non eueniet tibi iniquitas propter hanc rem, quod B. Hieronymus vertit, § non eueniet tibi quicquam mali propter hanc rem. § ergo iniquitas filiae populi mei, malum & vindictam populi mei significat. § Et non coeperunt in ea manus. § Verbum coeperũt, non est idem quod acceperunt, sed inceperunt, initium fecerunt. quod ex Hebraeo חלו patet, id enim verbum inter cetera significationem quoque incipiendi habet. ergo non coeperunt manus conserere, non coeperunt iacere aut tela aut sagittas, vel eiusmodi simile intelligendum est. Ac ne quispiam versionẽ beati Hieronymi reprehendat, Chaldaeus interpres hanc significationem incipiendi secutus est, & non inceperũt, inquit, prophetae prophetare in ea, vt illam ad paenitentiam reuocarent; manus enim prophetiam intellexit, iuxta id quod in prophetis saepe legimus, facta est manus Domini super hunc vel illum prophetam, hoc est spiritus prophetiae in hũc vel illum insedit. Aliam eiusdem verbi significationem secuti sunt LXX. καὶ οὐκ ἐπόνεσαν ἐν αὐτῇ χεῖρας, § & non dolere fecerũt in ipsa manus. § manuum dolore ac labore non illam domauerunt. in illa subuertenda manibus dolorem non exhibuerunt, quia

quia de repente illam euerterunt. Symmachus vulnerandi significatione probauit, ἣν οὐκ ἔτρωσαν χεῖρες, § quam non vulnerauerunt manus. § Nonnulli ex Hebraeis hoc modo, & non sunt castrametati in ea exercitus. Alij, & manus non habuerunt in ea vires, hoc est, obsistere non potuerũt. Sed in tanta varietate significationum retinendus est interpretis Latini, & LXX. sensus quẽ exposuimus, alioqui si per Hebraeorum expositiones vagari voluerimus, nihil firmi in quo insistamus habebimus.

ZAIN. L X X.

Mundi fuerunt Nazaraei eius super niuem, canduerunt super lac, igniti sunt, super lapides Sapphiri excisio eorum.

ORIGENIS. Symmachus reddidit, § Immaculati separati eius super niuem: candidiores lacte: rubicundiores *habitu* super conspicua: Sapphirus membra eorum: obscurior fuligine species eorum. § Eos qui se Deo consecrauerant dicit; Nazaraeus enim consecratum significat. sic namq; Symmachus & Theodotion in Amos consecratos seu sanctificatos transtulerunt, cum Nazaraeos vellent exprimere. horum & Moyses meminit: qualis erat ille Samson. erant autem ij apud Iudaeos illustres. ideo illorum puritatem opposuit niui, nitorem lacti, igniti autem sunt earum rerum quas Deo polliciti erant, exercitatione probati. Electi vero eius, quos significat excisio, caelestem conuersationem tenent. talis est enim Sapphiri color. habet etiam fuluescentes in auri colorem venas, quibus habitum illorum Symmachus comparat, quod excellentiam simul & ignitum quiddam in religione deique cultu haberet. § Coagulati sunt. § OLYMPIAD. Hoc est, non diffusi sunt, sed in virtute compacti.

Amos 2. Num. 6. Iudic. 13.

ZAIN. V V L G A T A.

Candidiores Nazaraei eius niue, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, Sapphiro pulchriores.

NAZARAEI filiae populi mei, qui comã Deo dicabãt, cũ capillũ non dũ attonsum promitterent, niue cãdidiores ac mundiores erãt, nitidioresq; lacte, ebore antiquo subrubescente rubicundiores, Sapphiri specie & colore pulchriores.

§ Naza-

§ Nazaraei eius, § eius nempe filiae populi mei de qua proxime dixerat. eam enim referri pro nomine satis liquet ex Hebraico & Graeco, ἐκαθαρίσθησαν οἱ Ναζιραῖοι αὐτῆς. qui autem sint Nazaraei, & a quibus illis abstinendum esset suae consecrationis tempore, in Numeris descriptum est. dicti sunt autẽ a separatione seu consecratione vtrumque enim hoc nomen significat, separatum quasi exemptũ a reliquo populo, & Deo consecratum seu ἡγνισμένον, Deo deuotũ. § Rubicundiores ebore antiquo. § Ebur antiquũ rubescere certum est. quamuis autem in Hebrae sit עצם, quod nomen proprie significat, os, tamen quia ebur e dente & osse elephanti fit, ideo B. Hieronymus transtulit, ebur; & quod sequitur מפנינים antiquum vertit. Ceterum Hebraei עצם hoc loco significare aiunt, aspectũ, speciem, vt etiam LXX. in Exodo capite 24. verterunt, ὥσπερ εἶδος τοῦ στερεώματος τοῦ οὐρανοῦ, § tamquam speciem firmamenti caeli, § & פנינים significare gemmas volunt, vt saepe significat, & hoc loco LXX. verterunt ὑπὲρ λίθους, § super lapides, § nempe pretiosos. quem Chaldaeus interpres rubinum putauit. Symmachus, πυρρότεροι τὴν ἕξιν ὑπὲρ τὰ περίβλεπτα, § rubicundiores habitu plusquam conspicua, § hoc est plusquam gemmae. Sed B. Hieronymum, puto noluisse cum re quae admodum rubra esset, comparationẽ fieri, nam id non esset pulchrum. sed ruborem illum eboris flauescentis assumpsisse qui propior esset ad speciem humani vultus. ideoque dixisse, ebore autiquo quamuis re uera non ita rubeat ebur antiqnum. § Sapphiro pulchriores. § breuiter dixit, cum in Hebraeo sit, Sapphirus excisio eorum. quid sit autem excisio seu segmẽtum varie exponitur. alij namque membra putanr & artus, quod videlicet vnumquodq; dissectum sit ab altero, quamuis neruis coniungatur. quem sensum videtur Symmachus probasse cum transtulerit, σάπφειρος τὰ μέλη αὐτῶν, § Sapphirus membra eorum. § nec diuersi ab hac sententia abierunt LXX. cum dixerunt, σαπφείρου τὸ ἀπόσπασμα αὐτῶν, § Sapphiri auulsio eorum. § Alij effigiationem & figuram quasi exculptam excisionem putauerunt; vnde idem verbum Hebraeum in Iob 33. sic verterũt, ἐκ πηλοῦ διήρτισαι σὺ ὡς καὶ ἐγώ, § Ex luto efformatus es tu vt etiã ego. § ideoque auctor Chaldaicae versionis dixit, & sicut Sapphirus

Num. 6.

phirus facies aut figura eorum. Ceterū LXX. optime illi quidem transtulerunt, ἐπυῤῥώθησαν ὑπὲρ λίθους, optime etiam distinxerunt. Sed qui primū pro ἐπυῤῥώθησαν posuit ἐπυρώθησαν, coniunxit hoc verbum cum nomine proximo γάλα, & fecit, ὑπὲρ γάλα ἐπυρώθησαν, ⸗ super lac coagulati sunt: ⸗ & consequenter necesse habuit totam structuram immutare, & sic distinguere, ἐκαθαριώθησαν οἱ Ναζιραῖοι αὐτῆς, ὑπὲρ χιόνα ἔλαμψαν, ὑπὲρ γάλα ἐπυρώθησαν, ὑπὲρ λίθον σαπφείρου. cum tamen Origenes eandem distinctionem secutus sit, quam habet Latina interpretatio & Hebraicus textus. Sed ipse etiam, Origenes ἐπυρώθησαν, simplici ρ legit, & exponit ἐδοκιμάσθησαν, quasi verbū sit πυροῦν, quod est igni probare, & excoquere; cum reuera LXX. vt liquet ex Hebraeo, nō potuerint nisi ἀπὸ τοῦ πυῤῥοῦ, quod est rufus, verbū deriuare, vt sit rubescere. quod etiam impressum est in graeco ὑπὲρ λίθου, vna littera adiungitur in Vaticano codice probatissimo, & recte, ὑπὲρ λίθους, super lapides, vt respondeat illis, ὑπὲρ χιόνα, ὑπὲρ γάλα, alioqui ὑπὲρ λίθους, nō plusquam lapis significat, sed supra lapidem, quod loco non conuenit. In his igitur pulchritudinem Nazaraeorum descripsit, eorum vero deformationem, & speciem longe aliter immutatam in sequentibus deplorat.

HETH. L X X.

Obscurata est super fuliginem species eorum: non sunt cogniti in exitibus. Adhaesit pellis eorum super ossa ipsorum, exaruerunt, facti sunt quasi lignum.

ORIGENIS. A spiritali illuminatione exciderunt, & interiori fame tabuerunt, ita vt lignis sint aridis persimiles, non illis plantatis secus decursus aquarum: quales nūc sunt qui apud illos habentur sacerdotes, nullam spiritalem pinguedinem habentes: & vt hic scriptum est, nigris erant maximo pudore vultibus, quod cum similiter atque alij peccarent abducebantur. nam & nunc in ijs quos pudet cōsuetudo hoc nomine vtitur. ⸗ Non sunt cogniti in exitibus eorū. ⸗ OLYMPIOD. Abominabiles facti sunt in vijs eorum. ⸗ Adhaesit pellis eorum super ossa ipsorum. ⸗ OLYMPIOD. Qui virtutē per simulationem & hypocrisin habent. ⸗ Exaruerunt. ⸗ EIVSDEM.

DEM. Cum nullum haberent humorem spiritus. haec vero ipsis quoq; captiuis ex vexatione contigerunt. ❴ Facti sunt quasi lignum. ❵ EIVSDEM. Excisi a vita Dei & arescentes.

HETH. VVLGATA.

Denigrata est super carbones facies eorum, & non sunt cogniti in plateis: adhaesit cutis eorum ossibus, & facta est quasi lignum.

SPLENDOR ille faciei eorum ac forma, obscurata denigrataq; est plusquam carbones, cum prae fame liuorem atq; nigredinem vultus illorum contraxisset, adeo vt cum in plateis incederēt non agnoscerentur, quod prior effigies in speciem esset longe diuersam immutata. cutis eorū exaruit, adeo vt ossibus adhaeresceret, & in tantum succo euanescente siccata est & obduruit, vt fieret quasi lignum arida.

❴ Denigrata est &c. ❵ De fame haec dici non dubium est, vt etiam cap. 5. ❴ pellis nostra quasi clibanus exusta est a facie tēpesta tum famis. ❵ ❴ Non sunt cogniti in plateis. ❵ Nam inedia
Iob 2. & vexatio vultum immutauerat, vt de Iob legimus, non fuisse ab amicis agnitum. ❴ Et facta est quasi lignum. ❵ Hanc similitudinem ad pellem refert B. Hieronymus, vt ipsa pellis arefacta similis ligno arido euaserit. Verum LXX. referunt ad ossa quibus dixerat cutem adhaesisse; ἐξηράνθησαν, ἐγενήθησαν ὥσπερ ξύλον, ❴ exaruerunt, facta sunt vt lignum. ❵ certe ex vsu scripturae est ossa arida dicere, & ea lignis arētibus comparare, fortasse ex similitudine vocum Hebraicarum עצם & עץ, exiccatis namque medullis arescunt ossa, quae illis rigari dicuntur, vt aquis ligna & arbores, vnde in Prouerbijs dicitur, ❴ Sanitas
Prouerb. 3. erit vmbilico tuo, & irrigatio ossium tuorum. ❵ Sic in psalmo
Psal. 101. 101. legimus, ❴ ossa mea sicut cremium aruerunt. ❵

TETH. LXX.

Meliores erant vulnerati gladio, quam occisi fame: abierunt vulnerati a frugibus agrorum.

ORIGENIS. Melius enim est bello velociter interire, quā fame vexari ex frugum inopia. Recte autē dices ensem
Ephes. 6. quoque & gladium esse verbum Dei, dicit enim Paulus, ❴ Et

gladium

gladium spiritus,quod est verbũ Dei,} de quo sponsa inquit, Can. 2.
{ Vulnerata caritatis ego sum,} dicit etiam Dauid,} accinge- Psal. 44.
re gladio tuo super femur tuum potẽtissime,specie tua & pulchritudine tua.} Tali percussos gladio bonũ est sub pedibus Iesu cadere,iuxta illud,} populi sub te cadent,} illius regnum Psal. 44.
confitentes, potius quam animi fame teneri.nam fructus agri Christus est,in Bethlehem natus,quo nomine domus panis significatur. cuius cum ieiuni fuissent Iudaei,in daemonum regionem abducti sunt.ager vero benedictus Domino, & valde odoratus,cuius odorem spirabat Iacob, Christi Ecclesiam indicat.} A frugibus agri.} OLYMP. A mundanis actibus.ager enim pluribus in locis intellectu sublimiore mũdus accipitur.

TETH. VVLGATA.

Melius fuit occisis gladio quam interfectis fame: quoniam isti extabuerunt consumpti a sterilitate terrae.

AC si malorum inter se qualitas comparanda sit, longe meliori condicione fuerunt,quibus pro patria pugnantibus ferro vulnerari occidique contigit,quam qui fame consumpti sunt,& inediae gladio transfixi. quoniã qui famis vulnere traiecti sunt,ij e vulneribus extabuerunt, & tabo manauerunt,quod manatione prouentuque agrorum carerent, ac frugibus destituti essent.

In hoc versu pulchra est in verbis Hebraeis similitudo, quae gratiam sermoni conciliat, nam fames & gladius in ea lingua similia sunt,חרב & רעב,extabescere etiã seu fluere,& prouentus terrae similem originẽ habent, atq; etiam affinẽ significationẽ; vtrumq; enim verbũ & זוב & ניב fluere significat: perinde est igitur ac si dictum esset,effluxerũt confossi a fluore terrae. Sed B. Hieronymus eandem sententiam a contrario expressit cum dixit,} a sterilitate terrae.} fluxerunt & extabuerunt eo quod non habuissent copiam fluoris terrae;nã inopia fluoris terrae idem est ac sterilitas terrae. fluor autem terrae, germina sunt & prouentus. fluxerunt ergo & extabuerunt quia nullus erat fluor & prouentus. molestissimum vero ac miserimum mortis genus esse,cum fame quis moritur,egregij Poetae versus docent, πάντες μὲν στυγεροὶ θάνατοι δειλοῖσι βροτοῖσι. Odyss. M.

λιμός δ' οἴκτιστον θανέειν καὶ πότμον ἐπισπεῖν. Deinde vt famis malum quam magnum fuerit indicet, in auditum & prodigiosum facinus commemorat, ad quod illa impulit, & toti huic famis lamentationi hoc veluti fastigium imponit.

IOD. L X X.

Manus mulierum misericordium coxerunt filios suos, facti sunt in escam illis in contritione filiae populi mei.

ORIGENIS. Ne videantur mulieres per crudelitatem filios deuorasse, misericordes fuisse dicit, & hoc calamitosum facinus necessitati ex inopia ascribit. Coxerunt autem idem quod torruerunt atque assauerunt significat, quod obsidentibus Romanis accidit. ideoque contritionem vocat illum perfectum generis interitum. & in secundo quoque Threnorum alphabeto huius calamitatis mentionem fecit: & hanc aliasq; clades diligenter Iosephus in libris de captiuitate tradidit. OLYMPIOD. Illi Deum cauponantes sui emolumenti causa deuorare dicuntur animas hominum, iuxta illud quod est in psalmis, { Qui deuorant plebem meam vt cibum panis,} cum propter multa peccata permitteret Deus vt in potestate talium principum esset populus.

Iosephus de captiuit. lib.6.ca.21. Psal. 13.

IOD. V V L G A T A.

Manus mulierum misericordium coxerunt filios suos, facti sunt cibus earum in contritione filiae populi mei.

ILLVD vero indignissimum teterrimumque facinus quis sine maximis lacrymis narrare poterit? mulieres, sexus sua sponte ad misericordiam natus, & ipsae praeter sexus condicionem sponte ad eum affectum propensae, & quod plus est matres, non alieno ministerio sed suis manibus filios elixauerunt, & in contritione filiae congregationisque populi mei, cum maxima aegritudine laborarent, & dolore praesentium malorum vexarentur, aptum scilicet delicatumque cibum inde sibi parauerunt, qui in dolore & stomachi languore gratus & expetendus esset matribus, & languentes ad edendum prouocaret.

{ Facti sunt cibus earnm, { לברות. Hoc verbo solet vti scriptura

ptura quū comedens non satis valet, & vel corporis vel animi aegritudine laborat, itaque necesse habet delicatiore & expetibiliore cibo, qui etiam languentem adgustandum inuitet, licet a cibo abhorrentem. in contritione igitur & aegritudine & dolore filiae populi mei hic suauissimus matri appositus est cibus scilicet, filius occisus & elixatus. dicitur enim hoc loco cibus per dissimulationem, quae ironia vocatur. Verum autē hoc esse quod dictū est ברות de cibo languentis aut aegrotātis dici solere, docēt haec scripturae loca, quod in Dauid tristi de morte Abner, & post mortem filij quem peperit ei Bersabee hoc verbo Scriptura vtitur: in Amnon etiam cum ob amorem Thamar aegrotaret. vbique enim in his locis est verbum ברות. 2.Reg.3. 2.Reg.12. 2.Reg.13.

CAPH. L X X.

Compleuit Dominus furorem suum, effudit indignationem irae suae, & succendit ignem in Sion, & deuorauit fundamenta eius.

OLYMPIOD. Firmitatem, stabilitatemque animae: haec vero etiam secundum historiam contigerunt.

CAPH. V V L G A T A.

Compleuit Dominus furorem suum, effudit iram indignationis suae, & succendit ignem in Sion, & deuorauit fundamenta eius.

INDIGNATIONEM suam omnē quam veluti diu conceptā retinebat Dominus, exhausit atque consumpsit. omnia tela furoris sui coniecit, & fame & bello & morte populum perdidit: omnes sagittas suas in nobis compleuit: Effudit & tamquam igneum halitum efflauit iram indignationis suae, quo halitu aptam combustioni materiam nactus, succēdit ignem in Sion, ita vt non modo muros flamma depasta sit, sed ipsa quoque fundamenta combusserit.

§Compleuit Dominus,§ vel tamquā in se conceptum & clausum prius, re ipsa & opere compleuit; vel furorem, hoc est vindictae suae vim & iacula omnia in nobis compleuit & cōsumsit, iuxta illud Deuteronomij, §Sagittas meas complebo in eis: § quas sagittas exponens ait, § foris vastabit gladius, & intus pa- Deut. 32.

tus pauor; &, deuorabunt eos aues morsu amarissimo. { Effudit,} quasi igneum halitum ac vaporem cum impetu & copiose efflauit. { Et deuorauit fundamenta eius. } Vel ad litteram muros & fundamenta ciuitatis intelligit: vel figurate per fundamenta reges & principes accipiendi sunt, quibus tamquam basibus ac fundamentis tota ciuitas nititur. significat autem totum esse statum ciuitatis euersum.

LAMED. L X X.

Non crediderunt reges terrae, vniuersi habitatores orbis, quoniam ingredietur inimicus & tribulans per portas Ierusalem.

ORIGENIS. Fortasse etiam propter munitionem loci, & muri & habitatorum fortitudinem, maxime vero propter Deum qui semper vrbem illam protexerat. Et certe ante Nabuchodonosor, ingressus frequenter Aegyptius, accepit
3.Reg.14. thesauros ex domo Domini; sed tamen vrbe non euersa:
2.Paral.12. non enim nimis vrgebat, etiam si erat hostis; praeterquā quod non incredibile est & secundo & tertio illud miraculum accidisse. fortasse reges terrae etiam ipsos daemones appellat, qui
Psal.2. terrenis hominibus imperant; de quibus dictum est, { astiterunt reges terrae & principes ipsorum conuenerunt in vnū, aduersus Dominum & aduersus Christum eius,} & ij qui nam
1.Cor.2. sint, indicatur in illis verbis, { Si enim cognouissent, numquā
Ephes.3. Dominum gloriae crucifixissent: } & in illis, { vt innotescat principibus & potestatibus in caelestibus per Ecclesiam multiformis sapientia Dei. } putabant enim numquam tradendā esse Ierusalem in finem, quoad haec gens maneret, promissionem ad patres factam cogitantes, & nihil de Christo scientes. OLYMPIOD. Hi qui erant in virtute praestantes, regale sacerdotiū. IDEM. Illa quae a Deo semper protegebatur multitudo. illa enim altera deserta erat. { Quoniam ingredietur inimicus & tribulans per portas Ierusalem. } OLYMPIOD. Propterea quod Dominus dixit, { portae inferi non praeualebunt
Matth. 16. aduersus eam, } vt neq; praeualuerunt, & si illis ad tempus vt turbarent permissum est.

L A-

LAMED. VVLGATA.

Non crediderunt reges terrae & vniuersi habitatores orbis, quoniam ingrederetur hostis & inimicus per portas Ierusalem.

CVM prophetae Regibus Ierusalem atque principibus eius & habitatoribus terrae Iuda praedicerent, vt vias suas corrigerent, ne forte iratus Deum vrbem in hostium potestatem traderet, & per portas captae Ierusalem introire permitteret, haec illi vana putabant, nullamq; his praedictionibus fidem adhibebant: nā praedictionibus falsorum prophetarum placentia & iucunda prophetātium occupatis animis, aures veris vaticinationibus obstruxerant.

§ Non crediderunt. § In Ieremiae prophetia de Ioacim rege legimus, eum vsque adeo Ieremiae vaticinijs excidium praedicentis non credidisse, vt librum in quo illa descripta erant, a Baruch Ieremiae notario allatum discideritt, & in ignem coniecerit. Ibidem quoque Sedeciam eius successorem Ieremiae vera vaticinanti non adhibuisse fidem scriptum est. Principes quoq; ciuitatis egisse vt talia praedicans tamquam seditiosus & incentor populi in lacum mitteretur, idq; a Rege obtinuisse: tantum abest vt illi crediderint. § Quoniam ingrederetur hostis. § Capta iam vrbe ingressos Principes Regis Babylonis sedisse in porta Ierusalem, habetur in Prophetia Ieremiae. Habitatores orbis, non totius orbis intelligit, sed vsus est scripturae, vt orbis nomine loca quae habitentur appellet, ad distinctionem locorum quae non habitantur, & deserta sunt.

Ierem. 36.

Ierem. 32.

Ierem. 38.

MEM. LXX.

Propter peccata prophetarum eius, iniquitates sacerdotum eius, effundentium sanguinem iustum in medio eius.

ORIGENIS. Sanguis iustus proprie ille fuit Saluatoris nostri Christi, quem qui effuderunt prorsus perierunt, cum pro effuso prophetarum sanguine modice castigati fuissent. OLYMPIODORI. Ipsi Ierusalem haec a Romanis acciderunt propter Christi sanguinem. generaliter vero dicit de ijs qui interimunt filium Dei & ostentui habent, cum semel

Hebr. 6.

ſemel factam redemptionem per ſuas vocum nouitates euertant.

MEM. VVLGATA.

Propter peccata prophetarum eius, & iniquitates ſacerdotum eius, qui effuderunt in medio eius ſanguinem iuſtorum.

CVIVS vrbis ruina & excidium praecipue peccatis falſorum prophetarum,& iniquitatibus ſacerdotum eius adſcribendum eſt; qui cum Reges & principes in caedem innocentium, & inſectationem ſanctorum prophetarum inſtigarent,ipſi potius effudiſſe iuſtorum ſanguinem putãdi ſunt, quam illi qui eorum perſuaſionibus impulſi iuſtos necabant. ita qui prohibere ſcelera debebant, & animos Regum ac principum a malefactis auertere, ij ſcelerum eiuſmodi ſuſcipiendorum illis auctores erant,adeo vt ſceleribus publice contractis ceteri omnes quodammodo impiarentur, & contagiũ ad vniuerſam ciuitatem pertineret, communi ruina & excidio expiandum. {Propter peccata prophetarum eius.} De falſis prophetis vana praedicentibus & populum decipientibus lege Ieremiae prophetiam capite 23. qui viſionem cordis ſui loquebantur non de ore Domini, dicebantque blaſphemantibus Deum,{ locutus eſt Dominus,Pax erit vobis:& omni ambulanti in prauitate cordis ſui,Non veniet ſuper vos malum.} in eadem prophetia legimus Ieremiã a Phaſſur ſacerdote percuſſum,& miſſum in neruum. Eundem quoque talia prophetantem a ſacerdotibus & prophetis morte damnatũ, & apud populũ ac principes tamquam de capitali crimine accuſatũ. Quae vero aduerſus Ieremiam hic ſacerdos molitus eſt, eadẽ aduerſus alios quoque innocentes ac iuſtos viros & hunc & alios ſacerdotes & falſos prophetas eſſe molitos credi nõ abſurde poteſt, qui cum regibus eſſent intimi, illorum animos parum graues ad piorum hominum necem exacuebant. itaq; de Ioacim rege Iuda legimus quod ſanguinem innocentem effuderit;& Ieremias ipſe capite 7. & 22. monet hortaturque vt ab hoc ſcelere abſtineãt,minime id moniturus niſi fieri con ſueuiſſet. Hoc etiam piaculo contaminauit Manaſſes rex Iuda ciui-

Ierem. 23. Ierem. 20. Ierem. 7. 22 4. Reg. 24.

da ciuitatem Ierusalem, cuius inter cetera scelera illud quoq; liber quartus Regum commemorat, § factum est, inquit, verbum Domini cõtra Iudam, vt auferret eum coram se propter peccata Manasse vniuersa quae fecit, & propter sanguinẽ innocentium quem effudit, & impleuit Ierusalem cruore innocentium: ob hanc rem noluit Dominus propitiari. Hoc vero quod de Manasse dicitur, LXX. in extremo libro Paralipomenon secundo Ioacim regi tribuunt. facta autẽ regum prophetis & sacerdotibus adscribuntur, hos enim illi in consiliũ adhibere solebãt in rebus dubijs, vnde etiam de Saul scriptum est in libro primo Regum, Deum illi non respondisse neque per somnia neque per sacerdotes neque per prophetas. his namq; consultoribus & ille vtebatur & alij reges vsi sunt.

4.Reg.24. 1.Reg.28.

NVN. L X X.

Commoti sunt vigiles eius in plateis, polluti sunt in sanguine. Cum ipsi non possent, tetigerunt vestimenta eorum.

OLYMPIOD. In Christo quidem, propter metum Iudaeorum etiam qui inter eos religiosi erant Deique cultores commoti sunt. Generaliter vero a firmitate commoti sunt angeli eius in vijs suis. ORIGENIS. Symmachus ait, § Instabiles facti sunt caeci in exitibus, polluti sunt in sanguine, vt non possent attingere vestes eorum. § Vigiles scriptura angelos vocat; vt apud Danielem. Hi vero erant per quos etiam fortasse illa per Moysen lex data est, iuxta illud, § Si enim qui per angelos dictus est sermo. § Hi namque cum prius assidue in ipsa, & in templo permanerent, commoti discesserunt. Iosephus enim in libris de captiuitate narrat, sacerdotes cum de nocte ad templum pro more ad sacra ministeria exhibenda venissent, primo quidem commotionẽ a se auditam dixisse, deinde vocem repentinam percepisse, transeamus hinc: quando etiam iuxta Symmachum, instabiles & errabundi facti sunt, & caeci, inquit, in exitibus. non enim erat visio distinguens, non rex non propheta neq; princeps; defecerant enim posteaquam ille aduenit cui erant reposita, qui erat expectatio gentium. § Polluti sunt in plateis. § OLYMPIOD. Nam qui non potest peccato resistere, ab illo polluitur. § Cum ipsi non

Daniel 4. Heb. 2. Iosephus de captiuit. lib. 6. c. 31. 1.Regi.3. Gen. 49.

Galat. 3. possent, tetigerunt vestimenta eorum. § Eivsdem. § Quicumque, inquit, in Christum baptizati estis, Christum induistis. § ait igitur, etiam de ipsa fide illos periclitatos.

NVN. VVLGATA.

Errauerunt caeci in plateis, polluti sunt sanguine: cumque non possent, tenuerunt lacinias suas.

HOC igitur fuso iustorum sanguine, & tanto scelere inquinati, errauerunt a suis sedibus pulsi, & hac illac discurrentes, tamquam furijs agitati, nullas certas sedes habentes oberrauerunt. cumque ad instar caecorum rectum iter nō viderent, neque viam tenere possent, lacinias aliorum hominum, cum vestes arripere non possent, & extremas oras vestiū tenuerunt. ab illis auxilium & opem suis rebus afflictis vel minimam quaerentes.

§ Errauerunt caeci in plateis, § hoc est tamquam caeci. Hoc autem errandi verbum נע in habraeo eorum est proprie, *qui* certas sedes nullas habent, sed errabundi vagantur. vnde etiā

Psal. 108. in psalmo 108. positum est, § nutantes transferantur filij eius & mendicent, & eijciantur de habitationibus suis. § & de

Gen. 4. Cain qui fraterna se caede polluerat, scriptura dicit, habitasse eum profugum in terra; cum hac illac quasi mente motus circumiret. Omnia autem haec de caecis errantibus, pollutisque sanguine, & contingentibus aliorum lacinias, & itineris ductorem quaerentibus, figurate de Iudaeis iustorum sanguine pollutis, & ab alijs gentibus auxilium petentibus dicta sunt, a quibus tamquam piaculo contaminati repulsi reiectique sunt. nam & ab Agyptijs aduersus Nabuchodonosor auxilium petierunt, quod in Ieremia cap. 37. scriptum est. § Cumque non possent. § cum lapsi essent caeci in lubrico & in sanguine quem fuderant cecidissent, neque se possent erigere, neque oculis capti rectum iter tenere, aliorum lacinias tenuerunt, ab illis & subleuari, & ad rectum iter duci poscentes.

S A-

SAMECH. L X X.

Recedite ab immundis, vocate ipsos, recedite recedite, nolite tangere, quia accensi sunt; atque etiam commoti. dicite in gentibus, non addent incolere.

ORIGENIS. Apostolis mandatur, vt de medio Iudaeorũ fugiant, qui Christi sanguine polluti sint. Vocationem vero eorum etiam angelis commisit; nisi forte Apostolis vt illos immundos ad paenitentiam vocent praecipit, quod fecerunt cum dixerũt, § Vobis oportebat primum praedicari verbum. § illis vero nolentibus iubet fugere, ideoque tamquam illi nollent, subiungit, § ecce conuertimur ad gentes. § OLYMPIOD. Hortamini inuicem abscedere ab immundis. illa enim verba, § vocate ipsos, § hoc significant, quisq; vestrum socium admonete. § Accensi sunt. § ORIGENIS. Hoc verbo significatur ignis ille captae ciuitatis. illud praeterea, § Commoti sunt. § transitum ad seruitutem indicat: illud vero, § non addent incolere, § perpetuum illos incolatum habituros, neq; altero opus futurum. OLYMPIOD. Dicite illis, inquit, ne adijciatis in gentibus incolere, hoc est cum alienis ne misceamini.

Act. 13.

Olympiodorus legit καλέσατε ἑαυτούς, vocate vos ipsos.

SAMECH. V V L G A T A.

Recedite polluti clamauerunt eis, recedite, abite nolite tangere; iurgati quippe sunt & commoti, dixerunt inter gentes: non addet vltra vt habitet in eis.

HOS conantes saltem lacinias tenere, ij quorum laciniae erant, & a quibus auxilium flagitabant, a se reiecerunt, dicentes, recedite polluti sanguine, recedite, abite a nobis, nolite vestes nostras contingere, nolite a nobis opem auxiliumque petere; tum inter se loquentes dixerunt, iurgatos esse inuicem Iudaeos, & contentionibus rixisque inter se certauisse, ideo commotos esse, & errare vagosq; ac profugos circumire, neque posthac fore vt illorum Deus inter illos habitet, cuius seruos occiderint.

§ Recedite polluti. § adhuc in figura caecorum sanguine contaminatorum perdurat, quos reiectos esse ab ijs quorum laci-

nias illi prehenderant dicit. nimirum a gentibus quas adierant Iudaei,& quorum opem flagitabant,auxilium ab illis negatum. { Nolite tangere. } nolite lacinias tenere. nolite a nobis vel minimum auxilium petere. ijs enim dicitur ne tangāt, qui vt paulo ante dixit,tenuerant lacinias ſuas,nempe caecis. in quorum figura Iudaeos e ſuis ſedibus pulſos, & profugos propter effuſum ab eis iuſtorum ſanguinem intelligit. quod autem Iudaei illis caecis figurentur ſanguine pollutis, etiam verba ſequentia ſatis indicant. { Iurgati quippe ſunt & commoti. } Commoti idem eſt cum eo quod ſuperius dixit, { errauerunt caeci in plateis. } ijdem ſunt ergo caeci de quibus ſupra dixit,& Iudaei,de quibus nunc ait, iurgatos eſſe & commotos:nam caecorum in ſanguine lapſorum, & inquinatorum figuram,ad denotādos mores Iudaeorum effundētium piorum ſanguinē aſſumpſit. Sunt autem haec verba gentium ad quas profugi abierant polluti illi iuſtorū ſanguine Iudaei: conuerſo namque inter ſe ſermone dicebant, iurgati ſunt *hi* Iudaei qui a nobis auxilium poſcunt, & in iurgio caedem fecerunt, ideo commoti ſunt, & tamquam homicidae e ſuis ſedibus pulſi, digna iurgij caediſque poena, vt incertis ſedibus errent. ideoque indigni vt a nobis auxilium quod petunt auferant. Iurgari autem non verbis modo, ſed manibus ac telis & ferro contendere eſt. iurgati vero ſunt,quum repugnantes vaticinijs prophetarum, & iuſtorum hominum monitis reſiſtentes eos occiderunt. { Non addet vltra vt habitet in eis. } De Deo intellexit noſter interpres,fore vt non vltra inter eos habitet,templo iam incenſo & euerſo. In Hebraico autem eſt, { non addent vltra vt habitent ſeu peregrinentur, } vt LXX. tranſtulerunt: *οὐ μὴ προσθῶσι τοῦ παροικεῖν*, { non addant incolere, } quorum verborum hic ſenſus erit: gentes illas ad quas vt ibi peregrinarentur Iudaei eiuſmodi caedibus polluti abierant, inducit propheta dicentes, non addent eiuſmodi homines vt peregrinentur & incolant. non permittendum eſt vt apud nos adhuc verſentur, ne nos etiam contagio ſui ſceleris inquinent. aut, non addent habitare, non vmquam poſthac in ſua regione & in Iudaea terra habitabunt, quam caedibus contaminauerunt.

PHE. L X X.

vultus Domini pars eorum, non addet respicere eos. facies sacerdotum non acceperunt. senum non sunt miserti.

ORIGENIS. Supplicium a Christo irrogatum indicat. dicit enim Dauid, § vultus autem Domini super facientes mala. § Non respiciuntur autē ab eo dum in eo quod sunt manent. nam § cum intrauerit plenitudo gentiū, omnis Israel saluabitur, § & de cetero vt fidelis respicitur. quod si scribatur, § pars eorum, § nimirum intelligitur eorū de medio exeuntium. de hostibus autem accipitur illud, § facies sacerdotum non acceperunt, § omnes enim abduxerunt. OLYMPIOD. Hoc est, non sunt veriti. § Senum non sunt miserti. § Eorum qui in virtute consenuerant non sunt miserti, sed illos etiam peruerterunt haeresiarchae, Iudaeorumque magistri.

Psal. 33.

Rom. 11.

PHE. V V L G A T A.

Facies Domini diuisit eos, non addet vt respiciat eos: facies sacerdotum non erubuerunt, neque senum miserti sunt.

VVLTVS & ira Domini diuisit & disseminauit eos inter gentes, neque vltra miserebitur eorum: quia neque faciem sacerdotum, & prophetarum vtilia consulentium atq; recte monentium veriti, neque senum miserti sunt. ita neque religionis ratione flexi sunt in sacerdotibus, neque naturae consideratione commoti sunt in senibus, & impij simul & inhumani.

§ Facies Domini, § faciem seu vultum pro indignatione sumi consuetum est, vt in psalmo 33. § Vultus autem Domini super facientes mala. § nonnumquam pro moerore, vt in primo Regum capite primo, § vultus eius (nempe Annae) non sunt amplius in diuersa mutati. § potest etiam hoc significare, § facies Domini diuisit eos, § quia a se repulit & disiunxit, ita vt amplius eos non aspiciat, neque eorum misereatur. quae poena conuenientissima est, cum ipsi neq; sacerdotum, neque senum faciem acceperint, ac veriti sint. aptissime autē haec omnia in infelices ac perfidos Iudaeos cadunt, qui cum Christi & apostolorum sanguine maculati sint, vt caeci per orbem errant

Psal. 33.

1.Reg.1.

rant prudentiae ac fidei lumine carentes, & vestimenta laciniasque gentium contingere nituntur, ab eis auxilium & opē & sedem in qua habitent petentes, & in eorum terris commorari postulantes a quibus repulsi, tamquam Cain teterrimo parricidio maculati profugi & nutantes, & hac illac discursantes oberrant. de quibus gentes dicūt, iurgatos illos esse, & in iurgio caede se contaminasse, ideoque commotos & e terris suis pulsos numquā fore vt in suis adhuc sedibus habitent, ex quibus Imperatorum edictis eiecti sunt, quod senum & apostolorum ac prophetarum facies non erubuerint. ¶ Facies sacerdotum non erubuerunt. ¶ fortasse & inter ceteros de se hoc intelligit. nam & ipse de sacerdotibus fuit qui erant in Anathot, vt in titulo libri sui legitur; & faciem eius non erubuit Sedecias, loquentis ad se ex ore Domini, vt est in libro 2. Paralipomenon, capite vltimo.

AIN. L X X.

Cum adhuc essemus, defecerunt oculi nostri ad auxilium nostrum, vana respicientibus nobis; respeximus ad gentem non saluantem.

ORIGENIS. A captiuis haec dici videntur, cum eos paeniteret quod Aegyptiorum & Assyriorū ope nisi fuissent. nihil autē prohibet quo minus ab ijs dici possint qui ex circūcisione crediderant. defecimus frustra in lege sperantes. nā lex neminem saluat, vt dixit Paulus. ergo neq; qui legi adhaerescunt iuuari post gratiā poterūt. ¶ Respeximus ad gentē non saluantē. ¶ OLYMP. Qui obsidebantur quidē, quia vanissime sperauerāt obsistere posse Romanis. Qui vero in peccato, Dei fiducia relicta, vanissime ad suum ipsorū auxiliū respexerūt. EIVSDEM. Ad humanū auxiliū aspicientes intumuimus.

Galat. 3.

AIN. V V L G A T A.

Cum adhuc subsisteremus, defecerunt oculi nostri ad auxilium nostrum vanum; cum respiceremus attenti ad gentem quae saluare non poterat.

QVVM nō dum perditi essemus, sed adhuc subsisteremus ac viueremus, quū res nostrae non dum afflictae essent, defe-

defecerunt & extabuerunt oculi nostri cnm desiderio expectantium exercitum Pharaonis, & sperantium eius auxilium vanum: quũ respiceremus tamquam de specula aliqua speculatores, sicunde gens auxilio veniret, quae nullam salutem aut opem erat allatura.

§ Cum adhuc subsisteremus. § In viuo adhuc corpore extabuerunt oculi, prae nimio desiderio, & expectatione, cum circumquaque frequentissime spectaremus sicunde auxilium veniret. Aegyptios autem significat in quibus spem posuerant, & a quibus auxilium expectabãt, vt est in Ieremiae prophetia cap. 37. qui cum ingentia promisissent, vanis promissis eos in perniciem egerunt, & Chaldaeis prodiderunt. nam vix egressi ex Aegypto, rursus redierunt, & spem Iudaeorum fefellerunt. Quid igitur perditis iam rebus ab ijs sperandum est, a quibus cum integrae res nostrae essent, in fraudem acti, & decepti sumus? Ierem. 37.

TSADE. L X X.

Venati sumus paruulos nostros ne irent in plateis nostris: impleti sunt dies nostri, adest finis noster.

ORIGENIS. Nam a Saluatore piscatores hominum facti illi discipuli, venabantur expiscabanturque Iudaeos sensibus paruulos, ne per latam & spatiosam patrum suorum irent viam; quos etiam Saluator significabat dicens, § sinite paruulos venire ad me. § OLYMPIODORI. Ad historiam quidem, quia obsidebant neque sinebant pueros in plateas exire. ad interiorem intelligentiam, exiguas cogitationes nostras, inquit, seruauimus, ne cupiditatum propensione per latas libidinum plateas ferrentur. liquet igitur quamuis nos omni ratione seruemus, nisi in Deo speremus, fore vt captiui ducamur. § Appropinquauit tempus nostrum. § EIVSDEM. A sanctis haec dicuntur, calamitates eorum qui propter peccata plectuntur, suas putantibus. Marci 10.

TSA-

TSADE. VVLGATA.

Lubricauerunt vestigia nostra in itinere platearum nostrarum, appropinquauit finis noster: completi sunt dies nostri, quia venit finis noster.

ET cum auxilio Dei careremus, a quo gressus nostri dirigerentur, & dilatarentur ac firmarentur, in ipsis quoque plateis quae latae erant, arctata sunt vestigia nostra, & infirmata lubricauerunt, & in praeceps ruerunt; & ne ipsis quidē adiumentis & instrumentis quae nobis suppetebant, vti potuimus, quibus antea facillime vti licebat. Iuuenes nostri fortes ac strenui, quibus tamquam vestigijs insistebat nostra Ciuitas, in ipsis quoque latissimis plateis in quibus ante versari soliti erant corruerunt. itaq; illis cadentibus tota simul ciuitas collapsa est. appropinquauit tandem praestitutus a Deo finis noster, quo tamquam filum praecidendi & tamquam matura poma decerpendi eramus. Completi sunt dies, vt tamquam oues gregis interficeremur & mactaremur.

§ Lubricauerunt vestigia nostra. § Verbū Hebraeum צדו aliqui transtulerunt, § venati sunt, § vt Symmachus. in LXX. legitur, ἐθηρεύσαμεν, § venati sumus. § Sed B. Hieronymus videtur in suo Hebraico codice legisse צרו a צרר quod est angustum esse: & quia in angustis locis cum vestigiū firmiter premi non possit, labimur, § ideo transtulit, lubricauerunt vestigia nostra. § & placet admodum haec lectio & interpretatio, cum gratiam non modicam habeat ex cōtrario adiecto, § in itinere platearum nostrarum. § habet enim τὸ παράδοξον: mirum namque est quomodo in plateis quae latae sunt, eorum vestigia sint arctata. significat autem figurate, consilia & adiumenta quibus salutem tueri suam poterant, & quibus ad eam diem res steterat, nunc in arctum & angustum esse redacta. Aut vestigiorum nomine iuuenes bello strenuos intelligit, qui in plateis corruerint, & fame & gladio interierint, iuxta illud quod cap. 9. prophetiae suae dicit, § Ascendit mors per fenestras nostras, ingressa est domos nostros, disperdere paruulos de foris, iuuenes de plateis. § § Appropinquauit finis noster. § finis tamquā praefiniti alicuius spatij extremum. ex quo ostenditur, definita esse

Ierem. 9.

ta esse apud Deum omnia, tumq; esse incipere cum ille praestituerit, tunc item cessare & intercidere, cum spatium illud praefinitum emensum sit: vnde in psalmo 38. Dauid postulat notum sibi fieri finem suum, & numerum suorum annorum. & mensurabiles, seu vt Symmachus transtulit, palmares positos a Deo dicit dies suos. In Hebraeo autem finis & maturitas, seu matura aestas, quam graeci ὀπώραν dicunt, similia nomina sunt, & vt solet scriptura, verborum similitudine gratiā aspergit, vt indicet quasi fructus esse homines, cumq; maturi sint, & finis vitae a Deo praestitutus, aut cladis alicuius praefixum tempus venerit, tamquam matura poma decerpi. vnde haec duo nomina finis & maturitatis praeclare in Amos coniuncta reperiuntur capite 8. § Quid vides Amos? & dixi vncinum pomorum. & dixit Dominus ad me, venit finis super populum meum Israel. § hoc est matura sunt poma vt decerpantur. § Completi sunt dies nostri. § ex metaphora ouium, quae ad macellum aptae sunt. vt idem dixit in prophetiae suae capite 25. § aspergite vos cinere optimates gregis, quia completi sunt dies vestri vt interficiamini. § Haec dixit de tempore quo capta est ciuitas. iam post captam ciuitatem quid euenerit exponit. Amos 8.

COPH. L X X.

Leues fuerunt persecutores nostri super aquilas caeli: super montes exarserunt: in deserto insidiati sunt nobis.

ORIGENIS. Narrat enim Iosephus, ne montes quidem fugientibus praesidio fuisse. illuc igitur nos trahentes accēdebantur, hoc est ad poenas sumendas exarserunt aduersus nos. potest autem & de apostolis intelligi, quorum iuuentus vt aquilae renouata est. OLYMPIOD. Ad litteram quidem, quia illos etiam qui ad montes fugiebant consecuti hostes interficiebāt. ad spiritalem intelligentiam, a tumidis elatisque actionibus exarserunt. § In deserto insidiati sunt nobis. § EIVSDEM. Inhumanis moribus. Psal. 102.

COPH. VVLGATA.

Velociores fuerunt persecutores nostri aquilis caeli: super montes persecuti sunt nos, in deserto insidiati sunt nobis.

IAM vero capta vrbe, cum fugissemus, velocius nos hostes insecuti sunt, quam aquilae volant ad auicularum aucupium. neque vllus nobis tutus fuit ad fugiendum locus: nam seu montes fuga peteremus, eo nos velocissime insectati sunt; seu in campos fugeremus, ibi quamuis apertissima & minime ad insidias apta loca essent, tamen ex astutia insidias nobis posuerũt. ita seu velocitate pedum opus esset, nihil illis velocius fuit, seu astu ac fraudibus, nihil insidiosius, in ipsis apertis planisque locis astu nos ceperunt.

§ Velociores fuerunt persecutores nostri. § Digna nimirum poena, vt qui in equorum Aegypti velocitate sperauerant, ij hostes velociores aquilis haberent. qnod Isaias praenuntians
Isa. 30. ait, § Et dixistis nequaquam sed ad equos fugiemus: ideo *fugietis.* & super veloces ascendemus: ideo velociores erunt qui
Ierem. 4. persequentur vos. § Et Ieremias ipse de Chaldaeorum exercitu, § Ecce quasi nubes ascendet, & quasi tempestas currus eius: velociores aquilis equi illius: vae nobis quia vastati sumus. § Videtur autem indicare illã Sedeciae regis & principum comprehensionem, de qua in eodẽ prophetiae suae libro cap. 39.
Ierem. 39. § Cum vidisset, § principes nimirũ regis Babylonis ingressos Ierusalem, § Sedecias rex Iuda & omnes viri bellatores, fugerunt, & egressi sunt nocte de ciuitate. § & paulo post, § persecutus est autem eos exercitus Chaldaeorum, & comprehenderunt Sedeciam in campo solitudinis Iericho, & captum adduxerũt ad Nabuchodonosor regem Babylonis in Reblatha.

RECHS. LXX.

Spiritus oris nostri Christus Dominus comprehensus est in corruptionibus nostris, in cuius diximus vmbra viuemus in gentibus.

OLYMPIOD. Hoc est, ipse vita nostra, ipse anima nostra. ORIG. Nonnulli dixerũt, inter praecipuos viros apertissime Iosiam lugere: sperabant enim propter illius religionẽ Ieru-

Ierusalem in medio gentium in summam gloriam extollendam. in medio namque gentium est Ierusalem. idem vero inquiũt, figura erat Christi, pro iniquitate populi mortuus. Atqui non in corruptionibus populi comprehensus est, sed quia prohibente propheta occurrit Nechao Pharao, quamuis ille pugnare aduersus eũ nollet. Ergo iuxta beatum Apostolũ velamen super faciem Iudaeorum positũ est dum legitur Moyses. vbi vero conuersus ille fuerit ad Dominum, aufertur velamen. Dominus autem spiritus est. ipsis autem prophetae verbis spiritum dicit ipsum Dominum. quibus igitur velamen est superpositum, nunquam dicent, Spiritus oris nostri Christus Dominus, sed illi tantum qui reuelata facie gloriam Domini speculantur, quibus semper ante mentis oculos est Dominus, vt nimirum spiritus ille qui in prophetis operabatur erat Christus, qui etiam homo factus dicit, ipse qui loquebar adsum, ipse idẽ spiritus, & Dominus, & Christus. hunc cõceperunt qui prius in seipsis pietatis semina corruperant. sed nos prophetae non alium oris nostri spiritũ existimantes, post nostrã conceptionẽ, non adhuc in nobis ipsis locum habẽtes, sub vmbra gratiae Christi tegimur, nõ amplius apud Iudaeos, sed in omnibus gentibus, cum ablatũ ab illis, propter facinus in Christum admissum, regnũ Dei datum sit gẽtibus. Ecce enim viuunt inter nos prophetae, loquẽtes de eo atque praedicantes, nõ adhuc apud illos, qui vsque in praesens suis illum corruptionibus cingunt, quotidie illum blasphemantes. Aquilas autem dixit, Spiritus narium nostrarum. Symmachus vero spiratio narium nostrarum. Nã Dei amatores assidue Christum spirant, ante oculos illum habentes. Sciendum vero est quod sicuti Christus spiritus in prophetis locutus est, ita etiã pater. dicit enim Paulus in illa ad Hebraeos epistola, Multifariam multisque modis olim Deus loquens in prophetis, nouissime diebus istis locutus est nobis in filio. Ad eundem modum etiam Spiritus sanctus: dicit enim Saluator, Bene dixit in Esaia Spiritus sanctus, auditu audietis & non intelligetis. In epistola vero ad Corinthios Paulus donis enumeratis in quibus est etiam prophetia, inquit, haec autem omnia operatur vnus atq; idem spiritus, donans cuique vt vult. hoc est

2. Cor. 3.

Esa 52.

Videtur Origenes verbum συνελήφθη, in significatione concipiẽdi intellexisse.

Matth. 21.

Hebr. 1.

Act 28.

1. Cor. 12.

iure suo & authentice, non seruiliter. Dici autem conuenienter potest spiritus oris Christus, qui spiritũ nobis prophetiae donarit. nam prophetia os seu facies est prophetarum, spiritus vero donum, vmbra lex. vmbram enim habet lex futurorũ bonorum. vixerunt igitur in nobis prophetae etiam in vmbra legis. donum ergo Propheticum quo exitus vniuersae prophetiae spectat, Christus est, hoc est a Christo, vel cuius gratia erãt prophetae, nam finis legis ac prophetarum Christus. Dici autem non incommode potest etiam ex persona Apostolorum atque credentium, § in ipso namque viuimus & mouemur & sumus. § § In cuius diximus vmbra viuemus. § hoc est ad eius imitationem. dicit enim etiam beatus Apostolus, § Imitatores mei estote, sicut & ego Christi. § § Captus est in corruptionibus nostris. § OLYMPIOD. Nam propter iniquitates nostras traditus est. cui professi sumus, fore vt ab illo tecti ab aduersariorum impetu conseruemur.

Hebr. 10. — Act. 17. — 1. Cor. 11.

RECHS. VVLGATA.

Spiritus oris nostri Christus Dominus captus est in peccatis nostris: cui diximus, in vmbra tua viuemus in gentibus.

ILLVD vero post omnes has calamitates lamentandum nobis praecipue est, & omni dolore prosequendum, quod spiritus oris nostri Christus Dominus, quẽ spirando viuimus, quũ spirare desinimus morimur; qui ipse Dominus est Deusq; noster, in peccatis nostris tamquam retibus ac laqueo captus est, & mortis vinculis ligatus, quamuis mortis doloribus diu teneri non potuerit, eosque soluerit; & quẽ putabamus nobis tegumento ac praesidio fore inter infestas nobis inimicasque gentes, ei nostris peccatis mortem attulimus.

§ Spiritus oris nostri Christus Dominus. § Negari non potest quin si LXX. sic interpretati sunt hunc locum, Christus Dominus, de Iesu Christo Domino intelligendum putarint. nam Christi nomen quamuis & alijs regibus commune sit, tamen ex ijs nemo Christus Dominus aut dictus est aut dici potuit, sed tantummodo Christus Domini, vt Dauid de Saule libro secundo Regum, § Quare non timuisti mittere manum tuam vt occideres Christum Domini? § & libro primo, § Propitius

2. Reg. 1. — 1. Reg. 24.

sit mihi

ſit mihi Dominus ne faciam hanc rem Domino meo Chriſto
Domini. § Chriſtum vero Domini dici quemquam, niſi eum f. Dominu
qui idem Deus ſit, blaſphemiae eſſet. nam vox Domini hoc
loco tetragrammon illud nomen indicat, quod ſolius Dei ve-
ri proprium eſt nomen. Ergo LXX. aperte cognouerunt illā
ineffabilem hominis Deique in eadem perſona vnitatem, cū
Chriſtum Dominum appellauerunt. quod etiam beatus Lu-
cas fecit, cum angeli ad paſtores euangeliſmū expoſuit, § An- Lucae 2.
nuntio, inquit, vobis gaudium magnum quia natus eſt vobis
bis hodie Saluator qui eſt Chriſtus Dominus, in ciuitate Da-
uid. § Quod ſi Ieſus, Chriſtus Dominus ab angelo dicitur, &
Chriſtus Dominus Hebraice non niſi Quadrilittero nomine
indicatur משיח יהוה, & יהוה non niſi verus Deus appellatur, cui
dubium eſſe poteſt, eundem Chriſtum hominem, eundem ve-
rum Deum eſſe, eundem a LXX. interpretibus Deum & ho-
minem agnitum? Quomodo igitur hoc ignorauerunt tam cla
rum tamq; firmum teſtimonium qui perfido animo & ore auſi
ſunt dicere, Chriſtum non eſſe Deum verum, aut ex ſcripturis
id haberi & confirmari non poſſe? Atque omnium fere anti-
quorum Doctorum conſenſu receptum eſt, hunc verſum ad
Chriſtum Dominum, Ieſum Saluatorem noſtrum pertinere.
ſunt tamen qui de Ioſia intelligendū ad litteram putent, quod
fere omnes Hebraei dicunt; idque ex eo confirmant, quod li-
bro 2. Paralipomenon ſcriptum ſit, § Vniuerſus Iuda & Ieru- 2. Par. 35.
ſalem luxerunt eum (Ioſiam nempe) Ieremias maxime, cuius
omnes cantores atque cantrices vſque in praeſentem diē la-
mētationes ſuper Ioſia replicāt, & quaſi lex obtinuit in Iſrael,
Ecce ſcriptum fertur in lamentationibus. § Hebraeorum ex-
poſitionem probat B. Hieronymus in commentarijs in Zac-
chariam prophetam in caput 12. § Eo tempore, inquit, poſt Zacch. 12.
reges peccatores ſpes omnis populi erat in Ioſia, & occiſo illo
magnus planctus in vrbe commotus eſt, ſicut legimus in He-
braico, ſpiritus oris noſtri Chriſtus Dominus captus eſt in pec
catis noſtris. licet alij iuxta intelligentiam ſpiritalem hoc re-
ferant ad Dominum Ieſum. § Huc vſque Hieronymus. Sed mi-
ror quomodo de Ioſia intelligere potuit Chriſtum Dominū,
vt ipſe idem tranſtulit, niſi forte non Chriſtum Dominum, ſed
Chri-

Christum Domini transferendum putauit, vtroque enim modo in Hebraico legi potest. certe si Christum Dominum transtulit, vt LXX. fecerunt, & eum transtulisse omnes etiam antiquissimi codices testãtur, non nisi de Iesu Christo Domino intelligi potest. Sunt inter ipsos Hebraeos qui haec de Iosia dici negent, sed alia ratione, videlicet, quia hae calamitates de quibus per totum conquestus est, non Iosiae, sed Sedeciae tẽpore acciderunt post Iosiae mortem, & paulo post scriptum est, § Completa est iniquitas tua filia Sion. § quod de Iosiae tẽpore intelligi non potest, cum illa clades & illa poena iniquitatis quam iniquitatem vocat, eamque completam dicit, Iosiae tempore non modo non completa, sed ne coepta quidem esset. ideoque de Sedecia haec accipere malunt, qui proxime ante ipsum excidium ciuitatis regnum tenebat, & captus in campis Ierichontinis, & Antiochiam ad regem Chaldaeorũ ductus, inde vinctus in Babylonem est perlatus. § Spiritus oris nostri. § Optime spiritus oris nostri Iesus Christus dicitur, qui
Ioan. 20. vt vitam in nobis post resurrectionem innouaret, in apostolos insufflauit dicens, § Accipite Spiritum sanctum. § nam vita Christi viuere nisi eius spiritu participato non possumus. potest etiam sic intelligi, qui carus erat nobis vt ipse spiritus oris nariumque nostrarum quem spiramus. § Captus est in peccatis nostris. § peccata dixit B. Hieronymus quae in Hebraico sunt שחיתותם corruptiones, vel retia, vel foueae eorum: quorũ vero? nempe persecutorum, de quibus dixerat, § velociores fuerunt persecutores nostri aquilis caeli. § Sed LXX. transtulerunt, ἐν ταῖς διαφθοραῖς ἡμῶν, & Beatus Hieronymus item, in peccatis nostris. vnde coarguitur legisse eos in Hebraeo, בשחיתתינו, retibus autem vel laqueis vel foueis vt nonnulli volunt, leones capi solebãt, & leonibus saepe in scriptura Reges comparantur. itaque figurare ait tamquam de leone regẽ intelligens, captus est in foueis seu in corruptionibus nostris, vt etiam de rege loquens Ezechiel eandem figuram tenuit, vt LXX. transtulerunt cap. 19. ἐν διαφθορᾷ αὐτῶν συνελήφθη, in corruptione, hoc est in fouea & laqueo eorum captus est. quo in loco Beatus Hieronymus vertit, § in vulneribus eorum captus est. § ergo etiã hoc loco verti potuit, captus est in vulneribus nostris

noſtris,quibus illum vulnerauimus. Captum autē fuiſſe Chriſtum & tamquam funibus ac doloribus mortis ligatum, vt illos potentia ſua rumperet,B.Petrus dicit in Actibus, ʒ Quem Deus ſuſcitauit ſolutis doloribus inferni,iuxta quod impoſſibile erat teneri illū ab eo .ʒ Seu igitur laqueos & funes intelligas quibus captus eſt, ſeu peccata vt B. Hieronymus dixit, ſeu foueas, optime omnia in Chriſto Ieſu Deo noſtro conueniunt.nam peccatis noſtris tamquā funibus & laqueis captus eſt, & in infernum deſcendit, vt idē B. Petrus ibidem Dauid teſtimonio prolato dicit, eum neque in inferno derelictum eſſe,neque carnem eius vidiſſe corruptionem. Act.2. Pſal.15.

CHSEN. L X X.

Gaude & laetare filia Idumaeae quae habitas ſuper terram, etiam ſuper te tranſibit calix Domini, inebriaberis, & effundes.

ORIGENIS. Sermo ad genus Edom hoc eſt Eſau fratris eius dirigitur,malorum illis magnitudinem praedicēs. hoc namque eſt, ʒ inebriaberis & effundes: ʒ de quibus etiam Dauid dicit, ʒ memor eſto Domine filiorum Edom in die Ieruſalem,qui dicunt exinanite exinanite vſque ad fundamentū in ea. ʒ nam cum fratres eſſent & vicini, iam inde ab ipſa ſtirpe inditum odium ſeruauerunt. Cum vero de Chriſto dixiſſet,opportune etiam huius gentis meminit. nam illam vtpote quae terrena appelletur, euerſurus erat Chriſtus, & caeleſtē facturus. virtus enim atque cognitio comminandi vim habet aduerſus eos qui erroribus & ebrietatibus vacant. quorum inebriatio ipſa eſt carnis mortificatio,ſupereffuſio autem etiā ſapientiae carnis extinctio. OLYMPIOD. Idumaea in vetuſtate peccati ſemper accipitur.ʒ Super te tranſibit calix Domini. ʒ OLYMPIODORI. Illi peccati vetuſtati propheta poculum praedicit, ipſum nempe per Crucem interitū, vt poſt inebriationem & caſum,etiam ex abundanti eius interitus in perpetuum prolongetur. ʒ Et effundes. ʒ prolongari illius interitum ſignificat, quum etiam nouiſſima inimica deſtruetur mors. Pſal.136. 1.Cor.15.

CHSEN.

CHSEN. VVLGATA.

Gaude & laetare filia Edom quae habitas in terra Hus: ad te quoque perueniet calix, inebriaberis atque nudaberis.

TV vero gens Idumaea quae terram Hus incolis, nostrae genti semper inimica, iam excidio Iudaeorum laeta, dũ a malis & cladibus abes, laetare scilicet & gaude: nam haud semper ab his malis immunis eris. ad te quoque calix irae indignationisq; Domini amarus ac veneno infectus perueniet, quem etiam inuita bibes; eoque hausto, quasi austerissimo vino inebriata trepidabis & agitaberis, & consilij inops quid tibi sit agendum non intelliges. nudaberis etiam vt turpitudo peccatorum tuorum appareat, & pro illorum magnitudine atque grauitate plectaris. necnon ambitu murorum disiecto, quasi vestium operimento spoliaberis.

§ Gaude & laetare. § per dissimulationem & ironiam haec dicta sunt. non enim quasi a monente, sed ab improbante dicuntur; vt illud in Ecclesiaste, § laetare iuuenis in adolescentia tua, § & quae sequuntur. deinde, § Et scito quod pro omnibus his adducet te Deus in iudicium. § Erat enim Edom in potestate Regum Iudaeorum, quorum excidium nimis intẽperanter tulerat, adeo vt cum hostibus Chaldaeis muros vrbis euertentibus adesset, & eos ad illos disturbandos hortaretur, vt in psalmo 136. scriptum est, § Memor esto Domine filiorũ Edom in die Ierusalem, qui dicunt exinanite exinanite vsque ad fundamentum in ea. § § Quae habitas in terra Hus. § Hus inter duces Seir, & Horraeos recensetur Geneseos 36. & primo libro Paralipomenon capite primo. § Ad te quoque perueniet calix. § Diuinae vindictae portio. Hic ille calix est, de quo prophetae Ieremiae praeceptum est a Domino vt omnibus gentibus propinet. § Sume, inquit, calicem vini furoris huius de manu mea, & propinabis de illo cunctis gentibus ad quas ego mittam te, & bibent, & turbabuntur, & insanient a facie gladij quem ego mittam inter eos: § cumq; inter ceteras gentes commemorasset Idumaeos, § dices ad eos, inquit, bibite & inebriamini, & vomite, & cadite, neque surgatis a facie gladij quem

[Margin: Ecclesi. 11. — Psal. 136. — Ierem. 25.]

quem ego mittam inter vos. } { Inebriaberis. } ex translatione ebriorum qui circumeunt & agitantur, trepidationem & metum, & inopiā consilij significare voluit, adeo vt imminens periculum qua ratione vitent non inueniant. iuxta illud psalmi. { Turbati sunt & moti sunt sicut ebrius, & omnis sapiētia eorum deuorata est. } { Atque nudaberis. } praeter eam significationem quae superius posita est, illam quoque habere hoc verbum potest, vt sit, verecunda & infirma detegere. immunita, inquit, terrae tuae apparebunt per quae hostes ingrediantur. vt Genesis 42. dixit Ioseph, { Immunita terrae explorare venistis. } Aut nudaberis ambitu murorum ablato atq; disiecto. Nonnulli etiam verbum תתערי significare volunt, euacuaberis, euomes. quibus fauet locus ille Ieremiae 25. { Bibite & inebriamini & vomite. } quod si ita exponendum videtur, figurate dictum est filiae Edom vt vomat, hoc est vt ciues suos e medio sui effundat, & illis in captiuitatem abeuntibus euacuetur, & inanis remaneat. Psal. 106. Gen. 42.

THAV. L X X.

Defecit iniquitas tua filia Sion, non adijciet vltra vt transmigrare te faciat. Visitauit iniquitates tuas filia Edom, reuelauit super impietates tuas.

ORIGENIS. Sat poenarum exoluisti, in quibus Edom succedet. quod vero ait, { non adijciet vt transmigrare te faciat, } vel ad reuocationē respiciens dixit, non enim diutius manebis in captiuitate, cum integram mensuram expleueris; minuit enim supplicium Deus non adijcit. Vel si ad secundam captiuitatem respexit, tamquam quae futura non esset, quomodo post priorem illa a Romanis accidit? vide igitur ne de nouissima sermo sit, quae propter Christum contigit, post quam altera non fuit; & omnis Israel saluabitur post plenitudinem gentium iniquitate relicta. quo facto, reliqua erit ipsa consummatio, & terrenorum hominum poena, cum iudicium expectetur. Potest etiam ad Ecclesiā sermo dirigi, quae antiquae illius est synagogae filia: sine paenitentia namque sunt Dei dona: huius igitur iniquitas defecit diuini baptismatis ope: quam Ecclesiam non vltra hostibus tradit ille qui Rom. 11. Rom. 11.

Psal. 131. Matth. 28. dixit, § Hic habitabo quoniam elegi eam.§ &, § Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus saeculi. § quo tempore etiam impietatem illorũ denotauit, qui terrena sapiunt. § Non adijciet vt vltra transmigrare te faciat. § OLYMPIODORI. Hoc cum historia non cõuenit: nam post Babylonios, iterum sedes mutare coacti sunt a Romanis, & adhuc in exteris sedibus agunt. Ergo intelligas oportet, legis quidem successionẽ fuisse, sed gratiam nullum finem habituram. § Visitauit iniquitates tuas filia Edom. § EIVSDEM. Haec illa est in vetustate peccati olim inquinata, & nomine illius appellata.

THAV. VVLGATA.

Completa est iniquitas tua filia Sion, non addet vltra vt transmigret te. Visitauit iniquitatem tuam filia Edom, discooperuit peccata tua.

IAM vero illam veram filiam Sion, & reliquias gratiae appello, & oleastrum in bonam oliuam insitum, ita vt non solum rem & pinguedinem oliuae, sed etiam nomen participet, & verus Israel vocetur, & vera filia Sion, in quam figurae omnes illius veteris Sion transierunt, te inquam appello filiam Sion, tibique gratulor quod completa sit iniquitas tua, Christi sanguine expiata; finem peccatum tuum accepit, & deleta est iniquitas: & illata iustitia sempiterna. neque adhuc patietur Deus vt de loco stabilitateque tua mouearis & demigres de sedibus tuis, & relictis institutis ac legibus mutatis in alias oras quodammodo captiua ducaris; cum fundata sis supra firmam petram; neque aduersus te portae inferi praeualeant. At vero tu filia Edom quae huic filiae Sion semper infensa es, & Israeliticae gentis aemula, gens terrenis semper inhaerens, & perfida, illud scito quamdiu talis es, visitare Deum iniquitatem tuam, & in conspectu semper habere, cum fide careas, & ad Christi gratiam non pertineas, qui peccata remittit, & per sanguinem suum delet: discooperta item esse peccata tua, cum gratiae vestem non habeas quae peccata contegit. itaque patent semper oculis Dei ac nuda sunt, & manet Dei ira in te, cum sis filia diffidentiae.

§ Completa est iniquitas tua filia Sion. § Iniquitatem hoc loco non

eo nonnulli poenam iniquitatis accipiunt, vt illud Cain, § maior est, iniquitas mea quam vt veniam merear, § vel vt nonnullis placet, maior est iniquitas mea quam vt ferre possim: ac sensum hunc esse horum verborum putant, perfuncta es poena quam persoluere pro tua iniquitate debebas. itaque pro peccatis tuis persoluta poena, non addet Deus vt adhuc migrare te de tuis sedibus faciat. At vero de tua o filia Edom iniquitate, quia non dum poena sumpta est, ideo illam visitauit atque recensuit, & tamquam summus arbiter plectendam decreuit; & peccata tua discooperuit, ne diutius tecta essent, sed suo tandem iudicio examinata vindicarētur. Hic sensus si cui placet eo contentus sit: & habet Isaiam paene idem dicentem capite 40. § Loquimini ad cor Ierusalem, quoniam completa est malitia siue militia eius, dimissa est iniquitas illius: suscepit de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis suis. § Sed quia adiunctum est, § non addet vt vltra transmigret te, § difficile est inuenire quomodo illa Sion filia, si de terrena intelligamus, non adhuc de suis sedibus pulsa translataq; sit: cum manifestum sit eam denuo migrare coactam esse & funditus euersam a Romanis, & perpetua captiuitate damnatā. itaq; dicunt aliqui etiam Ecclesiastici scriptores, eam propter praeterita illa peccata non amplius quam semel demigrasse, & in captiuitatem Babylonicam deuenisse. quod si secundo euersa est a Romanis, id non ob culpas easdem, sed alias accidisse, & praecipue propter Iesu Christi Domini necem. sed leuicula mihi haec solutio videtur. neque enim additum est, non addet vt vltra propter easdem culpas transmigret te, sed absolute dictum, § non addet vt vltra transmigret te. § Cur igitur tā iniqui sumus aestimatores, vt vbi Christianam affulgere intelligentiam videmus & quidem faciliorem ac veriorem, retinere adhuc Iudaicum sensum malimus & difficiliorem & minus verum? cum Ecclesiasticam regulam ac rationem habeamus, qua facillime dissoluere nodum possimus. Ea regula est, solere scripturas in maxima coniunctione figurae ac rei figuratae, cum ita connexa sint haec inter se vt paene vnum corpus efficiant, a figura sensim ad rem figuratam progredi. quae autē maior est coniunctio, quam filiae Sion seu populi Sion, & Ecclesiae?

Gen. 4.

Isa. 40.

clesiae? cum haec in illam insita sit quodammodo,& in vnum paene corpus coaluerit, in illis primis reliquijs Israel,in apostolis nempe & discipulis con pacta & conglutinata, ramis illis qui de carnis gloria tumebant excisis? Hanc igitur filiam Sion, filiam apostolorum & prophetarum quae per veterem illam filiam Sion figurabatur,intelligit propheta,cum eā non

Isa. 54. vltra migraturam praedicit,de qua etiam Isaias dicit, } In momento indignationis abscondi faciem meam parum a te, & in misericordia sempiterna misertus sum tui, dixit Redemptor tuus Dominus. sicut in diebus Noe istud mihi est, cui iuraui ne inducerem aquas Noe vltra supra terram, sic iuraui vt non irascar tibi & non increpem te. } quem certe locum qui aliter explicare voluerit,neque de Ecclesia intellexerit,is periurum necesse est Deum faciat,& perfidum,quod cum iurarit vt non vltra irasceretur, iam adeo iratus sit populo illi ac filiae Sion, vt non modo gentem illam euerterit,& vbiq; per omnes gentes disperserit, verum etiam perpetuo exilio & seruitute mulctauerit.Si igitur necesse est hunc Isaiae locum de Ecclesia & vera filia Sion & apostolorum ac prophetarum progenie accipere,cur non eodem modo hunc locum Ieremiae accipiendum putemus? nam si excisi sunt perfidi Israelitae, & pauci qui reliquiae erant, vt ait B. Paulus salui facti, in illis paucis promissiones omnes redditae sunt, & veritas earū seruata, de

Ierem. 50. quibus Ieremias dicit cap.50.} In diebus illis & in tempore illo ait Dominus quaeretur iniquitas Israel,& non erit; & peccatum Iuda & non inuenietur, quoniā propitius ero eis quos reliquero.} In has reliquias insitae gentes,& participes factae

Rom.11. pinguedinis ac nominis oliuae,veri Israelitae sunt, & vera filia Sion,& in eis promissa omnia completa, in eis etiā iniquitas ac peccata deleta, salutari sanguine quem Christus fudit

Daniel 9. expiata,vt etiam Daniel angeli oraculo futurū accepit, } Septuaginta, inquit, hebdomades, ? quarum hebdomadum figura septuaginta illi captiuitatis Babylonicae anni fuerunt, } abbreuiatae sunt super populum tuum, & super vrbem sanctam tuam,vt consummetur praeuaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas & adducatur iustitia sempiterna: } quod ergo Ieremias dixit, } Completa est iniquitas

tua,

tua, } hoc Danieli angelus, } vt consummetur praeuaricatio & finem accepit peccatum, & deleatur iniquitas. } quod vero subiunxit Ieremias, } non addet vltra vt transmigret te, } hoc ille, } & adducatur iustitia sempiterna. } lex namque illa euangelica nunquam abroganda est, neque e suis institutis Ecclesia vmquam dimouenda. Quod si cui Ecclesiasticus hic sensus, nō placet, qui certe nescio cur placere non debeat, & velit hoc nō de Ecclesia dictum accipere, sed de captiuitate illa Israelitica; is habet expositionem Origenis priorem quā sequatur, & verba illa, } non addet vltra vt trāsmigret te. } sic accipiet, ac si dictum esset, non addet vt diutius in captiuitate versari te patiatur, sed expletis. LXX. annis ad tuas sedes reuerti iubebit.

ORATIO
IEREMIAE PROPHETAE
CAPVT V.

I. LXX.

Recordare Domine quid acciderit nobis, Respice & vide opprobrium nostrum.

II.

Haereditas nostra versa est ad alienos, domus nostrae ad extraneos.



Olympiodori. Post sensum historicum sic intellige, naturalis illa libertas propter voluntariam inobedientiam peccato facta est obnoxia, } Domus nostrae ad extraneos. } Eivsdem. Illa iustificationum distributio, diripitur enim ab hostibus, qui subiectus illis fuerit.

I. VVLGATA.

Recordare Domine quid acciderit nobis, intuere & respice opprobrium nostrum.

Casvvm nostrorum & aerumnarum recordare Domine, ac tandem vt clementissimus ad misericordiā flectere,

ctere, qui peccata poenasq; condonare afflictis & humilibus soles, & eos etiam miserati qui iuste patiuntur. Intuere ac respice clades nostras & mala quae perpessi sumus, & quae inimici nostri nobis obijcere tamquam probra solent.

§ Recordare. § subijcit quae mala passus sit ille populus, vt vel Deū ad misericordiam eorum commemoratione flectat, vel testem suae patientiae vocet, vt saltem diuinum testimonium pro leuamine malorū habeat: neque enim id mediocriter consolari a maerore solet. § Opprobrium nostrum. § Opprobria ipsas aerumnas suas vocat, de ijs enim dicturus est. quas tamen aerumnas quamuis inuoluntariae sint, inimici vitij loco ponunt, & pro opprobrio obijciunt, cum potius miserari deberēt. Ea opprobria enumerare iam exorditur. Illud autem in hac oratione adnotandum, quamuis illa non sit per alphabeti Hebraici ordinem disposita, ita vt primus versus a prima littera incipiat, secundus a secūda, & ceteri consequenter, vt in quatuor prioribus lamentationibus factum est, tamē eundem uersuum numerum continere, nam uiginti duo uersus habet, quot sunt apud Hebraeos litterae.

II.

Haereditas nostra versa est ad alienos, domus nostrae ad extraneos.

Agri nostri quos haereditario iure possedimus, ad alienigenarum potestatem deuenerunt; domus nostrae quas extruximus in vrbibus, ad extraneos & quod peius est ignotos & ignobiles, extremaeque sortis homines, & indignos qui in illis habitent, peruenerunt.

§ Haereditas nostra. § Hoc ex opprobrijs primum est: & fortasse domorum appellatione templū ipsum intelligit, quod ad alienorum potestatē uenisse luget, haud immerita poena, cū Deum ipsi prius dereliquissent, & locum illum alienum fecissent, vt Ieremias in sua prophetia dicit, hoc est dijs alienis in eo seruiissent, ac si illi eius loci Domini essent. Hoc opprobrium etiam Dauid tanto ante defleuit, § venerunt gentes in haereditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum. § & idem ipse Ieremias, § confusi sumus, inquit, quoniam audiuimus opprobrium; operuit ignominia facies nostras,

Ierem. 19. Psal. 78. Ierem. 51.

quia

quia venerunt alieni super sanctificationem domus Domini.

III. L X X.

Pupilli facti sumus, nō est pater: matres nostrae quasi viduae.

EIVSDEM. Ecclesiae nō sunt viduae, sed quasi viduae, propter temporariam afflictionem.

III. V V L G A T A.

Pupilli facti sumus absq; patre, matres nostrae quasi viduae.

EXPOSITI autem sumus ad omnem barbararum gētium iniuriam, perinde ac pupilli & viduae, quos opprimere facillimum est, cum illi paterna defensione, hae virorum auxilio careant.

IIII. L X X.

Aquam nostram in argento bibimus, ligna nostra in commutatione venerunt super collum nostrum.

OLYMP. Sermo doctrinae. Ex INCERTO. Vel quia propter inopiam emebant, cum siccitas esset ac fames. vel propter tributum, quod pro terra & aqua pendebant. Pro eo quod est, § in commutatione venerunt super collum nostrū. § Symmachus dixit, § iugum in collo nostro, § seruitutem significans. § Aquam nostram. § OLYMP. Nam donum a Deo donatum, venditioni subiecit astutia peccati. § Ligna nostra in commutatione venerunt super collum nostrum. § OLYMP. Quū terram promissionis sorte diuiserunt filij Israel, regibus gentium ligna fabrefacta super collum imponentes, & super ea calcantes, illos interficiebant. quae igitur tua ope adiuti hostibus fecimus, eadem a te contempti passi sumus. Iuxta sublimiorem vero sensum sic intelliges. iugum illud haud venale filij Dei, pecuniae commutatione venditur.

IIII. V V L G A T A.

Aquam nostram pecunia bibimus, ligna nostra pretio comparauimus.

IPSAS res vilissimas & omnibus in medio positas, qualis aqua est, pecunia data bibimus. ligna etiā quae in nostris agris

agris ac nemoribus nascebantur, pretio comparauimus, pensionibus a Babylonijs etiam in rebus vilissimis impositis; aut quia cum omnia in eorum potestatem venissent, emere nobis quod miserimum est, res nostras necesse erat, aut cum alijs rebus permutare.

§ Aquam nostram. § Vel quia in nostra possessione prius fuerat, vel nostram quanta satis erat ad bibendum & sitim extinguēdam. quod extremae calamitatis erat, ne tātisper quidem ex aqua haurire posse, quantum satis esset ad bibendum. Sic item ligna nostra, vel quorum domini eramus, vel quae ad necessarium vsum satis erant.

V. L X X.

Persecutionem passi sumus, laborauimus, non habuimus requiem.

OLYMP. Nam cum iugū illud impie contemnitur, & ipsa requies abit, & de cetero peccati persecutio succedit.

V. VVLGATA.

Ceruicibus nostris minabamur, lassis non dabatur requies.

QVAMVIS pressi iugo essemus, & sarcinam grauem ferremus, nulla tamen miseratione commouebantur, victores sed captiuos vrgebant, & quāuis lassis ac fatigatis, nulla dabatur ab eis requies, neq; eos respirare a labore sinebant. Hoc de captiuis dicit, quos ad ambulandum vrgebant de ceruicibus oneratos, & iugo ad collum imposito, vel quum in captiuitatem ducerent, vel quum in ipsa iam terra hostili laboribus vexarent, captiuis perinde ac iumentis vtentes.

VI. L X X.

Aegyptus dedit manum, Assur ad saturitatem eorum.

EX INCERTO. Res ad vsum necessarias Aegyptus porrexit ementibus. similiter & Assyrij illi qui captam regionem seruabant. neque enim aliunde licuisset saturari cibo, nisi Aegypto placuisset nobis opē ferre, & Assyrij captis victum suppeditassent. Iuxta Symmachū vero, Aegyptijs nos ipsos tradidimus, ad eos qui semper fuerant hostes tamquā ad amicos confugientes, & ad Assyrios quū fame laboraremus accurrimus.

VI.

V. I. VVLGATA.

Aegypto dedimus manum & Assyrijs, vt saturaremur pane.

CVM Aegyptijs & Assyrijs, quae vicinae gentes erant, foedera iunximus, in eorum nos fide ac ditione futuros, si modo panem praeberent quo saturaremur.

Hoc vel ante factum est, vel post excidium, ab ijs Iudaeis qui ad illas gentes confugerant ex Iudaea terra, Chaldaeorũ imperium ac dominatum refugientes. ‖ Dedimus manũ.‖ Chaldaeus interpres vult idem esse ac dedimus tributum. Alij, cũ iaceremus inopes, neq; leuare nos ipsi possemus, manum Aegypto dedimus, vt nos iacentes erigeret & opem ferret: a similitudine prostrati hominis seque erigere non valentis. Alij sponsionem significari, & foederum coniunctionem putant.

VII. LXX.

Patres nostri peccauerunt & non sunt. nos iniquitates eorum sustinuimus.

EX INCERTO. Non quia minime peccauerimus, sed quia illorum iniquitatem exceperimus, & quod ad exteriorem speciem peius nobiscum agatur, quam cum illis qui in hac vita poenas nullas dederunt.

VII. VVLGATA.

Patres nostri peccauerunt & non sunt, & nos iniquitates eorum portauimus.

PARENTES nostri culpas admiserunt, & ex hac vita priusquam diuina ira veniret subtracti sunt; & nos eorum filij iniquitatum illorum poenas luimus.

Sic in Exodo est capite 10. ‖ Visitans peccata patrum in filios in tertiam & quartam generationem. ‖ quem locum & Augustinus libro contra Adimantum Manichaeum capite 7. & Cyrillus de adoratione libro sexto paulo post principium, & B. Ioannes Chrysost. in Euangelium B. Matthaei; quin etiam Hebraei ipsi sic intelligunt, tum puniri filios, quum in paterna peruersitate perseuerauerint; quod significari satis dicunt in eo quod ibidem sequitur, ‖ in ijs qui oderunt me. ‖ Horum igitur parentes peccauerunt illi quidem, & ante captiuitatem Exod. 20.

ſubtracti poenas effugerunt: ſed filij eorum poenis ſucceſſerunt, & in captiuitate, paternae impietatis vindictam exoluerunt; non iniuſte tamen, quia ipſi quoq; paterna peccata imitati ſunt. quod autem etiam ipſi filij exempla parentum ſecuti peccauerint, paulo poſt confitetur humiliter, ſe etiam peccatoribus adiungens, {cecidit, inquit, corona capitis noſtri, vae nobis quia peccauimus, } iniquitates igitur parentũ portauimus, & qua illi debuerãt poena eadẽ nos iuſte mulctati ſumus, quia eorũ peccata imitati ſumus. Sed poteſt etiam aliter dici, filios paternae impietatis poenas luere, nõ illas aeternas, id enim iniuſtum eſſet, niſi filij patrũ imitatores fuiſſent: ſed poenas eas quae hac vita finiuntur. quod non ex Dei iniquitate fit, ſed quia hominum inter ſe ſocietas atque communio ita requirit: vt enim virtus non habenti ſoli vtilis eſt, ſed etiam in eos peruenit vtilitas qui illi adiuncti ſunt, ſic vitium quoq; praecipue quidem eum laedit in quo ineſt, & quidem damno niſi paenitentia medeatur perpetuo; ſed etiam eis nocet non raro, qui vitioſo homini adhaerent, filijs, propinquis, amicis, ſubditis. non quod eorum culpa aliqua fuerit, ſed eo tantum quod cum malo homine nexu aliquo coniuncti erant. violarat fidem & periurus fuerat Sedecias, multi ex ijs qui ſub eius ditione erant, neque id ſcelus admiſerant, neque probauerãt, Nabuchodonoſor tamen infenſum habuerunt, a quo ſubiecti, captiui ducti & afflicti ſunt, ita faciente humani generis communione, vt Regis noxam etiam ſubditi luerent. quod de Sedecia dictum eſt; idem & per alios humanae ſocietatis nexus duci poteſt. pater in culpa fuit, luxu facultates dilapidauit, opes prodegit; filij noxae paternae ſuccedunt. non numquam viuente patre ad paupertatem redacti, non numquam mortuo.

VIII. L X X.

Serui dominati ſunt noſtri, non eſt qui redimat de manu eorũ.

EX INCERTO. Vel propter Ieroboã eiuſq; poſteros quibus plurima populi pars ſeruiuit, vel propter finitimas gentes, quae in eorũ ditione olim fuerãt, vel propter Iſmaelitas aut Babylonios ſatrapas, quod verius eſſe videtur. OLYMPIOD.

ΣΤΙΟΔ. Illae morum conuersiones cum seruae sint, peccatum praeferentes, voluntati dominantur. est enim secundum naturam ipsa volũtas,& consilij omnis domina. sed cum ad peccatum immutata conuersaq; fuerit, & virtuti quod est illi aduersum praetulerit, tunc illi peccatum quod praetulit cũ suis consilijs dominatur. § Qui redimat non est de manu eorum. § Eivsdem. Nullus enim redimere potest, nisi solus Deus.

VIII. VVLGATA.

Serui dominati sunt nostri, non fuit qui redimeret de manu eorum.

QVI prius nobis seruiebant,& tributũ pendebant, quales Idumaei Chananaeique sunt,& illi ipsi Chaldaei, qui cũ de genere Cham essent a Noe seruitute damnati erãt, ij commutata condicione dominati sunt nostri, nostrisq; ceruicibus iugum seruitutis imposuerunt, quod qui a nobis depelleret,& de potestate eorum liberaret nullus fuit.

§ Serui &c. § Non solum turpissimum est & indignissimum illi seruire cui prius dominatus fueris, & opprobrium in primis fedum, verum etiam miserrimum; quod praeteritae seruitutis recordatio ad se vlciscendum nouos dominos exacuat.

IX. LXX.

In animabus nostris afferemus panem nostrum, a facie gladij deserti.

EX incerto. Corporibus seruientes alebamur. § Gladij deserti. § Olympiod. Vexationem illam quando captiui ducebantur, dicit, aestu per diem illos affligente,& frigore per noctem: nisi forte gladium deserti, quasi desertum faciente vocat, qui adeo misere corpora afficiebat.

IX. VVLGATA.

In animabus nostris afferebamus panem nobis a facie gladij in deserto.

VItae nostrae periculo ex agris cibos inuehebamus cũ fames vrgeret,& fruges comportabamus, iam exercitu Chaldaeorum aduentante; cum in ipsis agris desertisque locis subsidẽtibus armatis hostibus dimicatio vitae subeunda esset.

§ A facie gladij in deserto. § Similes sunt in Hebraeo voces חרב & ארב gladius & insidiae, qua similitudine decor non exiguus sermoni comparatur, in agris autem subsedisse hostes ad insidias superius dixit, § in mõtibus persecuti sunt nos, in deserto insidiati sunt nobis. § Causam vero quae illos ad hoc vitae periculum subeundum impellebat fames erat, & annonae inopia, de qua subiungit.

X. L X X.

Pellis nostra quasi clibanus denigrata est, conuulsae sunt, a facie tempestatum famis.

Galat. 5. OLYMPIOD. § Qui enim sunt Christi, carnem crucifixerunt, cum vitijs & concupiscentijs. § EIVSDEM. Prae vehementi & maxima fame, siue sensibili iuxta historiam, siue spiritali iuxta sublimiorem intelligentiam.

X. V V L G A T A.

Pellis nostra quasi clibanus exusta est, a facie tempestatum famis.

QVEMADMODVM solet incendi clibanus, perflante vẽto, & flammã excitante, sic procella famis irruente, adesis combustisque carnibus pellis nostra exiccata exustaque est & nigredinem contraxit.

§ Exusta est, § נכמרו aut incensa est significat, aut denigrata: quã posteriorem significationẽ probauerunt LXX. qui verterunt, ἐπελιώθη, liuida facta est. & certe sic de fame locutus est superius, cum de Nazaraeis diceret, § denigrata est super carbones facies eorum. § § Tempestatum famis. § nonnulli putant significari Hebraeo nomine זלעפות accensionem, vt sit, a facie accensionum famis. sed LXX. habent, καταιγίδων, procellarum. vt sit impetus ventorum appellentium. & Chaldaeus interpres sic transtulit, perflatio famis, quasi venti ád ignem appulsi & flammam excitantis.

XI. L X X.

Mulieres in Sion humiliauerunt, virgines in vrbibus Iuda.

OLYMPIOD. Iuxta historiam, turpiter illis vtentes. iuxtá sublimiorem sensum, Ecclesias persecutores.

XI.

XI. VVLGATA.

Mulieres in Sion humiliauerunt, & virgines in ciuitatibus Iuda.

ILLVD vero miserrimum simul & turpissimum probrum, quod mulieres in ipsa ciuitate violauerunt, & virgines, in ciuitatibus ad Iudae tribum pertinentibus.

Humiliandi verbo vtitur scriptura pro eo quod est violare, simul significans eam quae violatur de fastigio & sublimitate castitatis detrahi, & in infimum locum depelli.

XI. LXX.

Principes manibus ipsorum suspensi fuerunt.

EIVSDEM. Manibus hominum aduersus veritatem conscribentium. § seniores non sunt honorati. § EIVSDEM. Nam adulterata peruersis scriptis veritate, etiam seniores simul cum illa dehonestantur.

XII. VVLGATA.

Principes manu suspensi sunt, facies senum non erubuerunt.

PRINCIPES vt haec ludibria morte vitarent, suis ipsi manibus se suspenderũt: senum facies quorum aetati veneratio deferri solet, contempta & ignominijs affecta est.

§ Principes manu suspensi sunt, § in Hebraeo est, § manu eorũ. § quorum autem? an manu sua ipsorum? an manu eorũ seruorũ qui dominati sunt eis? vtrumque enim intelligi potest: sed B. Hieronymus quia non addidit quorum manu suspensi sint, videtur sensisse sua ipsorũ manu se suspendisse, alioqui, eorũ, addidisset, si aliorũ manu suspensos intellexisset. § Facies senum nõ erubuerunt. § Erat apud Hebraeos senectus in honore maximo, adeo vt lege etiam Dei sancitum sit, vt eorũ praesentia honoraretur, quod Leuit. cap. 19. scriptum est, § Coram cano capite consurge, & honora personã senis. § idcirco eorum opprobriũ tamquam rẽ apud eos indignissimã commemorauit. Leuit. 19.

XIII. LXX.

Electi luctum assumpserunt.

EX INCERTO. Luctuosae sunt clarissimorum virorum ignominiae: sunt enim ij longe miserabiliores, quam qui feren-

ferendis aduerſis caſibus obcalluerunt. § Adoleſcentes in ligno infirmati ſunt. § Olympiod. Qui fide adeo firma erant, vt etiam propter Chriſtum crucem paterentur. Ex incerto. Eſt enim lignum quoddam conſtringens, quas compedes vocabant.

XIIII. VVLGATA.

Adoleſcentibus impudice abuſi ſunt, & pueri in ligno corruerunt.

ADoleſcentibvs ad turpe miniſterium abuſi ſunt, & pueri ſub iugo & onere graui debilitati corruerunt. § Adoleſcentibus impudice abuſi ſunt. § LXX. κλαυθμὸν ἀνέλαβον, luctum ſumpſerunt. ſed tamē quomodo luctum ex Hebraeo טחון transferre potuerint, difficile eſt videre; nam hoc verbum Hebraicū ſemper fere ἀλήθειν, molere ſunt interpretati. niſi forte κλασμὸν, dixerunt non luctum ſed confractionem, ἀπὸ τοῦ κλᾶσθαι, frangi. B. Hieronymus tranſlate hoc verbū accepit, quod molere obſcurius turpitudinem, vt etiam apud latinos auctores ſignificat. certe in Iob haec ſignificatio manifeſta eſt, vbi enim Hebraeus textus habet, § molat alteri vxor mea, § in eo loco B. Hieronymus quod Hebraice rectius
Iob 31. dictū erat clarius tranſtulit; § Scortum alterius ſit vxor mea. § Ceterum Hebraei fere in ſignificatione molendi accipiunt, iuuenes molam acceperunt, quod eos qui valentiores eſſent captos in piſtrinum darent, ſicut Philiſthaei Samſon molere coegerunt. & huic ſignificationi congruit quod de pueris ſequitur, § & pueri in ligno corruerunt. § tamquam ſcilicet laborem ferre non ſuſtinentes: quod ſi in pueris labor & debilitatio virium commemorata eſt, non abſurde in iuuenibus etiā molēdi labor accipitur. Pueros autem in ligno corruiſſe nonnulli ſic intelligūt, quod paribulis affixi ſint: quod etiam Chaldaicae interpretationis auctor ſenſit. Hebraei nonnulli, ſub onere lignorum corruerunt: alij, in ligno quo mola verſatur prae labore nimio corruerunt ac debilitati ſunt: deficiētibus viribus oneri ſuccubuerunt. poreſt etiam lignum ipſum iugū accipi quod ligneum fere erat, & ad onera ferenda ſeruis imponebatur. aut faſces lignorum quibus minor aetas ſupra vires a

res a saeuis dominis onerabatur. Hucusq; aerumnas & acerbitates quae sexum omnem, condicionem, aetatem peruaserant recensuit. Non reticendum est pulchre quendam quod de pueris dicitur ad Iudaeos transtulisse, qui cum pueri sensibus essent, in ligno scandalizati sunt & offenderunt; cum vt inquit Apostolus, verbum crucis Iudaeis scandalum fuerit, ibique offendentes corruerint.

XIV. L X X.

Et senes a porta cessauerunt.

OLYMP. Iuxta historiam, qui in portis Ierusalem sedentes, populum irritabant, iisdem, inquit, in locis interfecti sunt. quod si haec verba ad martyras referas, intelliges eos ab exitu huius saeculi cessauisse, hoc est consummatos esse.

XIV. VVLGATA.

Senes defecerunt de portis, iuuenes de choro psallentium.

SENES qui in portis Ierusalem sedere soliti erant, & grauiores causas tractare, in administranda republica, iudicijsque exercendis occupati, nunc de portis defecerunt. Iuuenes qui pro aetatis ratione laetioribus studijs operam dabãt, musicis carminibus, & psalmis canendis vacãtes, iam ab eiusmodi laetitia cessauerunt atque destiterunt.

Haec duo etiam in psalmo 68. coniunguntur, { Aduersum me loquebantur qui sedebant in porta, } hoc est senes qui serias res agebant: { & in me psallebant qui bibebant vnum, } hoc est iuuenes qui conuiuijs atque carminibus vacabant. Psal. 68.

XV. VVLGATA.

Defecit gaudium cordis nostri, versus est in luctum chorus noster.

In Origenis & Olymp. fragmẽtis nihil inuenimus quod ad huius 15. versus expositionem faceret.

QVICQVID gaudium ac laetitiam cordi nostro afferebat, id omne cessauit, atque sublatum est; cantores & carmina illa quae in templo canebantur, templum ipsum in quo exultabamus; pulcherrima illa ciuitas, quam aspicientes iucunditate perfundebamur: musica illa instrumenta quibus oblectabamur, tibiae, psalteria, cimbala, chorus denique iam nobis in luctum versa sunt.

{ Defecit

§ Defecit gaudium cordis nostri. § Gaudium cordis nonnulli oblationes intelligunt, quae offerri desierant. templum ipsum etiam gaudium cordis eorum dici poterat, & ipsa ciuitas in psalmo 47. dicitur exultatio vniuersae terrae. & huius libelli capite 2. § Haeccine est vrbs perfecti decoris, gaudium vniuersae terrae? § & dies festi atque solennes gaudium cordis eorum erant, vt Osee 2. § cessare faciam omne gaudium eius, § & enumerans singillatim gaudia, § Sollemnitatē, § inquit eius, § neomeniam eius, sabbatum eius, & omnia festa tēpora eius. § § Chorus noster, § vel carmina & cantica quae in templo personabant: vel chorus proprie αὐλὸν, tibiam significat, in eaque omnia musica instrumenta comprehensa sunt, idem namque nomen Hebraeum quod hic chorum vertit interpres, tibiam transtulit apud Isaiam capite 30. § Canticum erit vobis sicut vox sanctificatae sollēnitatis, & laetitia cordis, sicut qui pergit cum tibia vt intret in montem Domini ad fortem Israel. §

XVI. L X X.

Cecidit corona capitis nostri.

OLYMPIOD. Iudaei hoc de lege dictum asserunt; at Ecclesiastici viri, de ijs qui crucis mysterium irridebant. § Vae nobis quia peccauimus. § Ex INCERTO. Non tam calamitates, quam calamitatum causam luget. quae res cū paenitentia conuenit.

XVII. V V L G A T A.

Cecidit corona capitis nostri, vae nobis quia peccauimus.

REGNVM ipsum quo maxime gens nostra honestabatur, ablatum est a nobis: & corona diademaque insigne regni nobilissimum, de capite nostro cecidit. o nos miseros non tam quia haec passi sumus, quam quia vt haec pateremur commeruimus atque peccauimus.

§ Cecidit corona capitis nostri. § Ex Hebraeis nonnulli coronae casum templi ac sanctuarij euersionem intelligunt. quod malum tamquam omnium luctuosissimū extremo loco recensitum putant. § Vae nobis. § Dictio dolentis, est etiam in Hebraeo, quam LXX. in Isaia reddiderunt, ὦ τάλας ἐγὼ, o me miserum. Animaduertēda est sancti Prophetae humilitas, qui se

turbis

turbis peccantium admiſcet, & cum illis ſe quoque peccaſſe confitetur, & culpam praeſtitiſſe quae communi gentis excidio expiaretur agnoſcit.

XVII. L X X.

Hac de re factum eſt dolens cor noſtrum: Hac de cauſa contenebrati ſunt oculi noſtri.

XVIII.

Propter montem Sion quia diſperijt, vulpes ambulauerunt in ea.

OLYMPIOD. Tenebras maeroris noſtrae regionis deſolatio nobis offudit. cum belluae quae ſolitudine gaudēt, in ea creuerint. ſed tamen ea minime a te deſerta eſt, qui vbiq; ades & omnia conſpicis. Ex incerto. Vulpium nomine nonnumquam daemones ſcriptura ſignificat. doloſa eſt enim & homines odit ea bellua: dicit enim Salomon in Cantico Canticorum, § capite vulpes paruulas quae demoliuntur vineas. § Cant. 2.

XVII. V V L G A T A.

Propterea maeſtum eſt cor noſtrum, ideo contenebrati ſunt oculi noſtri.

XVIII.

Propter moutem Sion, quia diſperijt, vulpes ambulauerunt in eo.

HAEC cauſa eſt cur intimo dolore animus noſter langueat, cur etiam oculi continuo fletu caligauerint, & paene lucem amiſerint, propterea quod templum in monte Sion extructum dirutum eſt, & mons qui praeclaris illis aedificijs ornatus erat, nūc deſertus eſt & ruinis horret, ita vt vulpium quae in dirutis locis habitare ſolēt, diuerſoriū factū ſit. § Propter montem Sion. § Deſtructionem templi vltimam numerat, & in eius euerſione lamentationibus terminum imponit, vt qui templi deſtructionem ceteris malis commemoratis magis dolendam putet. quod adnotandum eſt vt diſcamus, quanto Dei cultus ceteris rebus quae humanae ſunt & nos tangunt, ſit anteferendus.

XIX. L X X.

Tu autem Domine in aeternum habitabis, solium tuum in generationem & generationem.

OLYMPIODORI. Hoc est, saltem recrea nos tandem cum sis aeternus.

XX.

Quare in victoriam obliuisceris nostri, derelinques nos in longitudinem dierum?

OLYMPIODORI. Quare taces, vinci nos sinens? & derelictionem nostram producens?

XIX. V V L G A T A.

Tu autem Domine in aeternum permanebis, solium tuum in generatione & generatione.

IAM vero ad te Domine meam orationem ac verba conuerto. Tu quidem sempiternus es, neque vllum tempus erit quo esse desinas. regnum etiam tuum nulla vis temporis violabit, sed solium tuum sedesque regia per omnia saecula perdurabit. cum igitur idem semper sis, neque potestas vmquam tua aut minuta sit aut minui possit,

XX.

Quare in perpetuum obliuisceris nostri, derelinques nos in longitudinem dierum?

Cur tandē nō recordaris nostri, promissaq; tua longius differs? si tibi neque mutatio aliqua potest accidere, quia in aeternum permanes; neque vis vlla potestatem & imperium imminuere, cum solium tuum in generatione & generatione perduret, cur ergo foederum velut oblitus videris, neque illa nobis praestas, neque vt promisisti subuenis, sed opis tuae indigos, miseros, afflictos, tamquam tui serui non simus, nihilque ad te pertineamus relinquis?

{ Quare in perpetuum. } ex immutabilitate naturae Diuinae, firmitateque regni atque potestatis, vult illum ad firmitatem constantiamque promissorum tenendam adducere ac flectere. paene ijsdem verbis vsus est Dauid psalmo 101. { Tu autē Domine in aeternum permanes, & memoriale tuum in generatione

ratione & generatione, Tu exurgens misereberis Sion. § promiserat autem in Leuitico cap. 26. eos etiam in terra hostili captiuos non se derelicturum, qui hoc igitur promisisti, cur promissorum exhibitionem longius differs?

XXI. L X X.

Conuerte nos Domine ad te & conuertemur.

OLYMPIOD. Quia propter multitudinem peccatorũ repellimur, propitiationem petit propheta, per quã alacriter ad Deum conuertimur. § Et innoua dies nostros sicut prius. § OLYMP. Reditum petit illi ex Aegypto similem, per summam aduersus hostes vltionem ac supplicium, & admirabilem ipsorum salutem. EIVSDEM. Vt secundum tuam praescientiam salutem homini dandam praefinisti.

XXI. V V L G A T A.

Conuerte nos Domine ad te & conuertemur, in noua dies nostros sicut a principio.

SED iam origo mali omnis quae fuerit aperienda est, & vt omnis boni originem tribuas a te petendum. Quia a te discedendo, & tuum cultum relinquendo, in haec omnia mala coniecti sumus, & voluntatis nostrae momentis a te discedere potuimus, ad te autem redire voluntarijs viribus nõ possumus, ideo quod ipsi non valemus, id a te humiliter petimus: tu nos ad te reuoca atque conuerte, & conuertemur, & gratiae tuae voluntarios nostros motus adiungemus, ac tibi reuocanti obsequemur. innoua dies nostros, ad eumque statum reuoca, quo eramus ante quam a te auerteremur.

§ Conuerte nos Domine ad te. § Vel de conuersione per paenitentiam dicit, & reuocatione ad gratiam, qui sensus praeferendus est: vel de reuersione ad sedes pristinas, cõuerte nos ad te, hoc est ad locum habitaculi templiq; tui, & conuertemur, tibique seruiemus quemadmodum antea faciebamus.

XXII. L X X.

Repellens enim repulisti nos, iratus es in nos valde.

EX INCERTO. Nam ipsa magni mali perpessio ad impetrandum valet plurimum.

XXII. VVLGATA.

Sed proijciens repulisti nos, iratus es contra nos vehementer.

QVOD si noxij sumus vt certe sumus, & peccando meruimus, vt nos a te repelleres, & tamquam tua protectione indignos abijceres, & pro tuo populo non haberes, ac repudiares, iam certe satis irarũ est, deferuescat tandem precor ira tua, & ad insitam tibi clementiam atq; misericordiam redeas oro.

§ Proijciens repulisti. § Tamquam rem abominandam, improbandamque repudiasti. § Iratus es contra nos vehementer. § ad summum vindictae minarumque tuarum illarum gradum

Leuit. 26. peruenisti, quae in Leuitico descriptae sunt.

FINIS LAMENTATIONVM.

INDEX
LOCORVM SACRAE SCRIPTVRAE,
quæ obiter in hoc opuſculo explicantur.

Geneſis. 4 HAbitauit in terra. p.179
20 Quid vidiſti, vt hoc faceres. p.180
21 Riſum fecit mihi Dominus. p.9
49 Suppoſuit humeros ſuos ad portandum & factus eſt tributis ſeruiens. p.8
Exo. 1 Præpoſuit eis magiſtros operum, vt affligerent eos oneribus. p.8
1 Aedificauit obſtetricibus Domos. p. 87. vel pag.152
3 Vidi afflictionem populi mei. p.33
15 Miſiſti iram tuam, quæ deuorauit eos, ſicut ſtipulam. p.29
20 Viſitans peccata patrum in filios in tertiam & quartam generationem. p.193
Leui. 26 Tunc placebunt omnia ſabbata eius. p.27
Deuteron. 20 Conſtituat te Dominus in caput & non in caudam. p. vo
38 Filios generabis & filias & non frueris eis quoniam Ducentur in captiuitatem. p.51
28 In gentibus quoque illis non quieſces nec erit requies veſtigio pedis tui. p.14
32 Quando diuidebat altiſſimus gentes &c. pars autem Domini &c. p.116
32 Foris vaſtabit eos gladius & intus pauor. pag.55
32 Vua eorum vua fellis & botrus amariſſimus. pag.45
Ruc. 4 Quæ ædificauerunt domum Iſraël. p.87
Reg. 2 Vultus eius non ſunt amplius in diuerſa mutati. p.173
7 Hauſerunt aquam & effuderunt in conſpectu Domini. p.92
Iob. 8 Veracium os implebit riſus, vel vt habet vulgata Donec impleatur riſu os tuum. p.9
14 Signaſti quaſi in ſacculo delicta mea. p 43
16 Poſuit me ſibi quaſi in ſignum. p.107
19 Fratres meos longe fecit a me &c. p.15
31 Et pondus eius ferre non potui. p.175
Pſal. 2 Aſtiterunt reges terræ & principes conuenerunt in vnum. p.166
17 In Deo meo tranſgrediar murum. p.131
17 Vt lutum platearum delebo eos. p.46
26 Quoniam abſcondit me in tabernaculo ſuo &c.
30 Reſpexiſti humilitatem meam. p.33
30 Conturbatus eſt in ira oculus meus anima mea & venter meus. p.54
33 Immittit Angelus Domini in circuitu timentium eum. p.63
33 Vultus autem Domini ſuper facientes mala. pag.173
38 Notum fac mihi Domine finem meum &c. ecce menſurabiles &c. p.177
44 Accingere gladio tuo ſuper femur tuum potentiſſime. p.163
47 Fundatur exultatione vniuerſæ terræ. p.60
49 Ex Sion ſpecies decoris eius. p.84
61 Veruntamen pretium meum cogitauerunt repellere. p.83
68 Aduerſum me loquebantur qui ſedebant in porta & in me pſallebant qui bibebant vinum. p.199
68 Incende animæ meæ & libera eam. p.142
71 Et inimici eius terram lingent. p.130
73 Et gloriati ſunt qui oderunt te in medio ſolemnitatis. p.48
74 Nolite extollere in altum cornu veſtrum. p.63
74 Calix in manu Domini vini meri plenus mixto, &c. & inclinauit ex hoc &c. p.44
74 Et omnia cornua peccatorum cōfringam. p.63
76 Anticipauerunt vigilias oculi mei. p.89
78 Introeat in conſpectu tuo gemitus compeditorum. p.58
87 Sicut vulnerati dormiētes in ſepulchris, &c. & ipſi De manu tua repulſi ſunt. p.140
87 Poſuerunt me in lacu inferiori. p.103. & 141
89 Qui ſedes ſuper Cherubim. p.61
101 Oſſa mea ſicut cremium aruerunt. p.162
102 Renouabitur, vt aquilæ iuuentus tua. p.197
103 Exibit homo ad opus ſuum & ad operationē ſuam vſque ad veſperam. p.53
104 Et vocauit famam ſuper terram. p.97
108 Nutantes transferantur filij eius & mendicent. p.170
120 Per Diem ſol non vret te &c. p.194
131 Hic habitabo, quoniam elegi eam. p.180
136 Memor eſto Domine filiorum edom, qui dicunt exinanite &c. p.184
138 Tu cognouiſti ſeſſionem meam & reſurrectionem meam. p.146
142 Collocauit me in obſcuris ſicut mortuos ſæculi. p.103
146 Qui producit in montibus fenum, & herbam ſeruituti hominum. p.14
3 Sanitas erit vmbilico tuo, & irrigatio oſſium tuorum. p.162 Prouer.
20 Suauis eſt homini panis mendacij & poſtea implebitur os eius calculo. p.110
11 Lætare Iuuenis in adoleſcentia tua. p.184 Eccl.
2 Vulnerata charitate ego ſum. p.163 Cāti.
1 Laboraui ſuſtinens. p.48 Eſa.
1 Os enim Domini locutum eſt. p.50
1 Cauſa viduæ non ingreditur ad illos. p.58
10 Aſſur virga indignationis &c. p.138
30 Et dixiſtis nequaquam, ſed ad equos aſcendemus. p.178
34 Et aſcendat ſuper eam menſura vt redigatur in nihilum. p.7
37 Spreuit & Irriſit te virgo filia Sion. p.22
42 Vt educeret vinctos de domo carceris ſedentes in tenebris. p.2
47 Sede tacens & intra in tenebras &c. p.75
53 Quoniam abſciſſus eſt de terra viuētium. p.141
54 In momento indignationis abſcondi faciem meam &c. p.188
61 Vt prædicaret captiuis remiſſionem. p.2
4 Ecce quaſi nubes aſcendet & quaſi tempeſtas &c. p.178 Hieremias.
4 Vox filiæ Sion inter morientis expandentiſque

que manus suas. p.49
6 Vsque ad racemum colligent quasi in vinea reliquias Israel. p.39
7 Nec assumas pro eis laudem. p.91
9 Ingressa est mors domos nostras disperdere paruulos deforis iuuenes de plateis. p.77
13 Dic regi:& Dominatrici humiliamini sedete &c. p 6
13 Reuelata sunt verecundiora tua pollutæ sunt plantæ tuæ. p 33
15 Solus sedebam, quoniam amaritudine replesti me. p.6
19 Conteres laguneulam in oculis virorum &c. pag.152
22 Scribe istum sterilem. p.132
23 In prophetis Samariæ vidi fatuitatem &c. pag.81
23 Ve quid vobis onus? proiiciam quippe vos dicit Dominus. p.135
25 Sume calicem vini furoris huius. p.154
25 Bibite inebriamini & vomite. p.185
32 Quia in furore meo, facta est mihi ciuitas hæc.
42 Si posueritis faciem vestram vt ingrediamini Aegyptum. p.15
45 Væ misero mihi, quoniam addidit Dominus dolorem dolori meo nec inueni requiem. pag 84
48 Pauor & fouea & laqueus est super te habitator Moab. p.135
50 In diebus illis ait Dominus, quæretur iniquitas Israelitæ. p.188
50 Aperite, vt exeant qui conculcent eam tollite de via lapides &c. p.49
50 Redemptor eorum fortis. Dominus exercituum nomen eius, iudicio, &c. p.142
55 Quoniam non fuit viduatus Israel & Iuda a Deo suo. p.7
Eze.16 Et vnxi te oleo & vestiui te discoloribus &c. p 23
23 Ecce suscitabo omnes amatores tuos contra te, de quibus satiata est anima tua. p.12
23 Ecce excito amatores tuos aduersum te vndique. p.
26 Ventilabo puluerem eius ab ea. p 133
37 Periit spes nostra & abscissi sumus. p 133
8 Quid vides Amos? vncinum pomorum &c. pag 177 Amos
3 Reuelabo pudenda tua in facie tua &c. p.33 Nahū
2 In vigilia mea stabo & prospiciam &c. p.89 Aba.
5 Beati qui lugent &c. p.3.& p.9 Mat.
14 Quarta vigilia noctis venit ad eos. p 91
10 Sinite paruulos venire ad me. p 75 Mar.
13 Sero an media nocte an gallicantu an mane &c. p.91
2 Qui est Christus Dominus in ciuitate Dauid. pag.181 Luc.
6 Beati qui fletis, quia ridebitis. p.3
15 Gaudium erit in cœlo super vno peccatore pœnitentiam agente. p.2
19 Videns ciuitatem fleuit super illam &c. p.3
13 Si non lauero te nō habebis partem mecum. pag.31 Ioan.
2 Quem suscitauit solutis doloribus inferni. pag.183 Act.
4 Tristitia mihi magna est & continuus dolor cordi meo &c. p.2 Rom.
12 Flere cum flentibus gaudere cum gaudentibus. p.3
2 Si cognouissent nunquam Dominum gloriæ crucifixissent. p.166 Corin.1
5 Vos autem inflati estis & non magis luctum habuistis. p.2
6 Fugite fornicationem p.12
3 Vt innotescat principibus & potestatibus per Ecclesiam. p 166 Ephe.
2 Solliciti seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis. p.3 Phil.
2 Licet enim qui per Angelos dictus est sermo pag.169 Hebr.
3 Peccatum iniquitas est. p.20 Io.1.

A

Amicorum perfidia in rebus aduersis nil luctuosius. pagina. 11
Angeli custodes lugent animam in peccatum lapsam. pag. 71
Angeli dicuntur pedes Dei. p. 59
Animæ contemplantis sponsus, Ratio, Mens, Portio superior. p. 4
Angeli appellantur in scriptura vigiles. p. 169
Apostoli aquilæ nominati. p. 177

B

Bona temporalia spiritalibus præferre est in terra sedere, & puluerem super caput imponere. p. 75

C

Castitatis status sublimis. p. 197
Christi domini sepultura prophetata. p. 101. & 139
Christus spiritus prophetarum, quia spiritum illis prophetiæ dedit. p. 179
Christũ imitari est viuere sub eius vmbra. p. 180
Christus verus Deus. p. 181
Christus in peccatis nostris, tamquam laqueis captus. p. 182
Cogitationes malæ in animam ingredientes. p. 34
Cognitio suiipsius necessaria ad conuersionem ad Deum. p. 129
Conscientia peccatorum iugum est obstringens, & vulnerans. p. 42
Contemplationis dignitas, & vtilitas. p. 4
Corpus animæ carcer. p. 124

D

Deus animæ sponsus. p. 6. & 7
Dei ira cum flammeo halitu comparatur. pag. 39
Dei iustitia in peccatores sæuiens. p. 45. & 65
Dei ira, & iustitia appellatur ignis, & arcus. p. 63 & 64
Dei iustitia pro culpæ modo infligit pœnas. p. 7
Dei iustitia nullum peccatum dimittit impunitum. p. 41. & 42. & 43
Dei patientia in tolerandis peccatoribus. p. 87
Dei ira cum misericordia coniuncta. p. 115
Dei cultus, & religio rebus omnibus præferenda. pag. 201
Deus punit peccata parentum in filiis. p. 18. & p. 193. & 194
Dæmones vulpium nomine significantur. p. 201
Diaboli potentia in peccatores sub iugo peccati perseuerantes. p. 19
Diaboli vires peccatis hominum augentur, virtutibus debilitantur. p. 46
Diabolus irridet peccatorem post commissam culpam. p. 25
Doctrina, quæ est secundum pietatem dicitur lac. p. 76

E

Ecclesia catholica filia prophetarum, & Apostolorum. p. 188
Episcoporum, & Sacerdotum peccata ruinæ populi. p. 168
Aegyptus, & Angustia, nomina habent in Hebræo simillima. p. 15

F

Fame perire miserrimum genus mortis. p. 77. & 78.
Fatum nullam habet vim præcipue in actibus liberi arbitrii. p. 128
Festiuitates in scriptura nominãtur, gaudium cordis. p. 200
Fides paulatim labefactatur, dum in sceleribus peccator assuescit. p. 25

G

Gaudium spirituale iustorum. p. 9

H

Hæreticorum doctrina lac draconum. p. 153

I

Iudæorum captiuitas vltima, quæ Romana dicitur. p. 3. & 185
Iudæorum pœna famis instante vltima captiuite. p. 164
Iudæorum pœnæ propter mortem Christo illatam. p. 143. & 146. & 156. 157. 167. & 169. 171. 172. 173.
Iudæorum iniquitas in Christum. p. 157
Inferni pœna æterna dicitur rete pedibus expansum. p. 40

L

Lacrimæ beatæ quæ nam sint? p. 3. & 9
Lacrimarum fontes oculos nostros esse debere ipsa nominis significatione intelligimus. p. 47. & 137.
Lacrimarum vis, & efficacia. p. 137
Lacrimæ amaritudine affectæ. p. 77
Legis Mosaicæ abrogatio. p. 69
Lex Mosaica dicitur murus. p. 70
Lex Euangelica aurum, Mosaica argẽtum p. 149
Lex Euangelica numquam abroganda. p. 189

M

Mortis meditatio necessaria. p. 83
Mortificatio spirtualis. p. 163
Murmurare aduersus Deum proprium est damnatorum. p. 126

N

Nabuchodonosor quid denotet iuxta nominis etymologiam. p. 5

O

Oratio appellatur in sacra scriptura laus. p. 91
Oratio effundit cor sicut aquam in conspectu Domini. p. 92
Oratio munus est Deo acceptissimum. p. 92
Orationis, & lacrimarum perseuerantia. p. 146.
&

& 137
Obstinatio peccatorum in malo. p.139

P

Peccatores lugendi a sanctis viris. p.2.& 3
Peccator nisi post commissum peccatum resipiscat, ad alia prolabitur. p.5.& 19.& 22
Peccator destituitur consolatione angelorum. p.9
Peccatoris ruina gaudium diaboli. p.10
Peccator nullam sub peccato requiem inuenit. pag.12.
Peccator amittit gratiam contemplationis. p.16
Peccator tribulationibus pressus Dei iustitiam agnoscit. p.51
Peccatoris malitia æque ac diaboli astutia interitum machinatur, bonis operibus, & cogitationibus sanctis. p.53
Peccatoris damna ab ipsis Angelis quasi deplorantur. p.71
Peccatoris pœnitentis oratio. p.151
Peccatores in similia peccata recidentes. p.151
Peccatores minis prophetarum, & prædicatorum increduli. p.167
Peccatorum vana in mundo confidentia. p. 174. & 178
Peccatorum consilia in angustum redacta. p.176
Peccatores abominabiles. p.204
Peccator post culpam commissam irridetur a diabolo. p.25
Peccati damnum præcipuum mentis confusio, & deportatio ad varias vitiorũ formas. p.3.& 25
Peccatum lepræ comparatum. p.6
Peccatum maxime fugiendum. p.12
Peccatum humiliatio est animę. p.24
Peccati pœna instabilitas mentis. p.29
Peccati immunditia. p.30.& 48
Peccatum quodam quasi fascino excæcat animum. p.33
Peccata carnalia pręcipue spiritui contraria. p.34. & 35.
Peccatum est iugum deorsum deprimens. p.42
Peccata varia variis punita suppliciis. p.44
Peccatum est vua, de qua vinum iræ Dei exprimitur. p.44
Peccatum debilitat liberi arbitrij potentiã. p.101
Peccatum amaritudo animæ. p.107
Peccatum est nubes, vel murus orationem sursum ascendentem impediens. p. 131
Prædicatorũ sermones quales esse debeant. p.82
Principes temporales dicuntur portæ ciuitatum. pag.73
Prophetæ dicuntur os Domini. p.50

S

Sacræ scripturæ libri initia sunt ad omnem Dei cognitionem. p.2
Spes in Deum semper habenda. p.116

T

Templum Dei horto, & Tentorio comparatur. p.68
Tẽtationes diaboli sibilo, comparatę. p.84.& seq.
Testamenti veteris libri cur eiusdem sunt numeri, quo, & literæ alphabeti hebraici. p.2
Tribulationes illuminant intellectum ad cognoscendam peccati grauitatem. p.24
Tribulationes sunt pœnæ peccatorum. p.32.& 86 & 122.& 125.& 126.& 184.
Tribulationes incitant animam ad orationem. pag.57
Tribulationum vtilitas. p.118
Tribulationes patienter tolerandæ, quia a Deo immittuntur. p.119.& 120
Tribulatio magna comparatur mari. p.80
Tribulationem a Deo immissam, & nullus hominum curare potest. p.79